Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius

Caspari Mauritii, D. Exercitationum Anticalvinianarum

Pars II. : De Persona Christi, Sacramento Coenae, Adiaphoris I

[Rostochii]: [Richelius], [1665]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914

Band (Druck) Freier Zugang


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730408914/phys_0001
DFG

Pr. ~~84 p~~ 748 p
382 p

Fg-3277.
51c/9

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730408914/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0004
DFG

EXERCITATIONUM ANTICALVINIANARUM

PARS II.

DE

PERSONA CHRISTI, SACRAMENTO COENÆ, ADIAPHORIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0005
DFG

I. N. D. N. J. C.

CAPUT I.

DE PERSONA CHRISTI.

§. I.

Finitæ sunt Exercitationes Academicæ, & vindicata hactenus est gloria sanctitatis misericordiæ, veracitatis & justitiæ divinæ. Ne tamen in medio substitisse cursu & cœptum opus abrupisse videamur, reliqva attexenda duximus. Nempe tria restant explicanda: Controversiæ de Persona Christi, Cœna Dominica, Adiaphoris. Pergamus igitur in nomine Ejus in qvo cœpimus, ad sublimem illum de Persona Christi articulum: de qvo incomparabilis Chemnitius: *Meminerimus*, inqvit, *mysterium arcanæ illius & ipsis procul dubio Angelis admirandæ copulationis divinæ naturæ infinitæ cum humana finita in Personæ Christi, non posse nos in hujus vitæ caligine mentis nostræ infirmitate totam ac plenè perspicere, nec omnia, qvæ de eo qværi vel disputari possunt, perfectè intelligere ac qvasi ad oculum demonstrare vel debere vel posse: sed religiosa diligentia & solicitudine mentem in omnibus de hoc arcano mysterio cogitationibus, qvæstionibus & disputationibus*

tationibus ad lucernam Dei in verbo nobis prælucentem referamus, & intra metas divinæ patefactionis in Scripturis traditæ nos contineamus & coerceamus. lib. de duab. Nat in Christo cap. IV. pag. 19. Ubi duo inculcat Chemnitius. Primum est, hic non posse nos plenè cognoscere mysterium illud: qvod repetit pag. 28. 52. seqq. Alterum, perspicua & firma Scripturæ testimonia in disputationibus de hoc mysterio adducenda: qvod & alibi urget pag. 21. 28. 96. 103. &c. *Qvando disputamus contra Ecclesiæ hostes* (monet oportunè B. Lutherus ad cap. XIIX. Genes.) *solida & firmæ argumenta proferenda sunt. Hoc enim nisi fiat, non solum rident nos inimici, sed in suo errore magis confirmantur.* Et: *Disputatio fundamenta firma jaciat necesse est: hæc cum jacta sunt, nihil prohibet per allegoriam seu figuram addere lucem causæ & ornare.* Vocat *argumenta Rhetorica, etsi minus firma, tamen jucunda nec suo fructu carentia, apta ad persvadendum, imò etiam utilia, postqvam rei fundamenta ex aliis Scripturæ locis jacta sunt.* Qvare nobis id curæ esse debet eum in omni doctrinæ sanæ capite, cui contraveniunt heterodoxi, tum maximè in arduo illo articulo & humanæ rationi imperveſtigabili atqve incomprehensibili de Unione Personali, ut perspicuis validis adeoq; talibus Scripturæ locis, qvæ piis & moderatis mentibus satisfacere & contradicentibus os ob-

os obturare qveant, veritas confirmetur. Neqve enim *aliunde concludendum sed semper respiciendum in verbum Dei: hinc enim est fides*, qvæ sunt verba Cl. Menzeri contr. Martin. pag. 23. planè conspirantia cum saluberrimis Chemnitii monitis, qvæ identidem suggerit in aureo libello, qvem optimè Selneccerus in Præf. dicit *ex sacris literis & orthodoxæ Ecclesiæ consensu perpetuo & unanimi constructum*: Qvanqvam Danæus in Præf. pag. 1351. *ex hoc fonte derivatos esse* clamat *omnes istius corporis* (Formulam Concordiæ intelligit) *nævos & errores errorumq; probationes*. Sed de his jam videndum & ostendendum Danæi criminationem falsissimam esse.

§. II. Tria in controversiam veniunt: fundamentum Unionis Personalis, ejusdem formale, ut sic dicam, constituens & formale conseqvens: de qvibus ordine agendum. Fundamentum unionis Personalis est unitio sive assumptio humanæ naturæ in ὑπόστασιν filii Dei, sive communicatio activa subsistentiæ carni facta. Neqve enim corpus & anima Servatoris ante assumptionem unita erant in unam personam, sed ὁ λόγος illa duo univit sibi, dum eodem momento massam, unde verus homo formandus erat, in utero Virginis sanctificavit, conceptam assumpsit, assumptamq; participem fecit ὑποστάσεως suæ vera & reali ejusdem com-

 munica-

municatione. Communicationem vocamus, qva qvod unius naturæ proprium est, alteri realiter confertur ad communem participationem. Dicitur communicatio intransitivè, qva qvid alteri datur, ut tamen simul maneat prioris proprium, fiat autem utriqve commune, qvoad possessionem, usurpationem & denominationem, qvæ sunt communicationis consequentia. Impartitus ergò est Filius Dei humanæ naturæ propriam subsistentiam, assumendo eam in unitatem personæ, sic ut ὑπόστασιν illam sive actum personalem λόγῳ possideat caro, eaq; fruatur & gaudeat ut sua non per transfusionem subjectivè & inhæsivè, sed modo ineffabili & mystico, indeq; denominetur non qvidem ὑπόστασις vel ὑφιστάμενον sed ὑποστῶσα ἐν τῷ λόγῳ atqve ἐνυπόστατος, *subsistens in Persona Filij Dei* secund. Damasc. lib. 3. Orth. fid. cap. 1. 11. 17. Hanc subsistentiæ participationem veram & realem adversarii oppugnant, paucis exceptis, qvi tamen ipsi, qvod una manu dant, altera rursum eripiunt, ut infra ostendetur. Nos realem subsistentiæ communicationem carni factam probamus ex Ebr. II. 14. 16. & Joh. I. 14. In prioris loci commatibus distinctis & λόγος dicitur *particeps factus esse carnis & sanguinis similiter uti pueri, & semen Abrahæ assumpsisse.*

pisse. Hinc geminum nascitur argumentum pro Orthodoxia nostra. Si Filius Dei naturæ humanæ particeps factus est, ita, ut, qvam verè caro & sangvis est puerorum, tam verè caro & sangvis sit Personæ Filii Dei, seqvitur μεθεξιν sive communicationem realem subsistentiæ factam carni esse. Etenim absqve communicatione subsistentiæ foret, λογος non haberet realiter carnem & sangvinem neqve dici posset, παραπλησιως carnem & sangvinem convenire τῳ λογῳ sicut convenit pueris, siqvidem caro non pertineat ad personam Christi, sed hæc solius divinitatis sit carni non participata. Porrò: qvicqvid assumptum est in ὑπόστασιν Filii Dei ei communicata est ὑπόστασις Filii Dei. Assumi enim in alterius ὑπόστασιν duo importat: Negationem subsistentiæ propriæ & personationem sive communicationem personalitatis. Atqvi assumptam esse humanitatem in divinitatem & Apostolus dicit, & omnes credunt Christiani, confessi personam Filii Dei incarnati ζωήν ut ad integritatem ejus ipsa qvoqve caro pertineat. Nempe suspendit λογος ὑποστάσεως propriæ è natura humana Christi emanationem, eamq; donavit sua, ut una sit Filii Dei & hominis hypostasis, adeoq; unus Christus. In posteriori loco *verbum Dei*

factum esse carnem asseritur. Non id potest intelligi de λόγῳ in carnem conversione: hic enim Eutychianismus est. Neqve de utriusqve commixtione & tertii productione: hoc enim deliramentum est. Neqve potest intelligi de nuda carnis gestatione: impossibile enim est substantias, qvæ tam qvoad essentiam qvam qvoad suasistentiam divisæ sunt, de se invicem in casu recto prædicari. Adde qvod hæc gestatio sive sustentatio non sit propria uni sed communis tribus personis divinitatis: qvodq; creatura qvævis esset dicenda Deus si hypostatica unio consisteret in sustentatione. Neqve audiendus Scharpius est curs. Theolog. col. 728. qvi *non aliter verbum esse carnem factum* ait, *qvam Christus dicatur maledictum & David Rex factus.* Alterum enim loqvitur de imputatione, alterum de accidentali accessione. Neutrum hic locum habet ut consideranti manifestum est. Non enim divinitati facta est accessio, Athanas. Epist. ad Epict. Intelligendum ergò Verbum est non qvatenus est efficax in creaturis, sed qvatenus intra suam hypostasin consideratur, adeoq; verbum caro factum est per communicationem subsistentiæ, ita ut humanitas Christi sola sit intra hypostasin λόγῳ, reliqvis creaturis omnibus non intra sed extra eam exsistentibus. Qvomodo & Damascenus rem explicat,

dum

dum lib. 3. cap. 11. *ipsam hypostasin verbi ἀνεκφάτως factam esse carnis hypostasin.* Qvod & cap. 2. & 3. inculcat. Neqve in diversum eunt qvidam ex ipsis adversariis, qvos inter Walæus aliiq; qvi cum hoc Johannis loco conferunt Gen. II. 7. & I. Cor. XV. 45. *Secundus Adam factus est in Spiritum vivificantem sicut primus Adam in animam viventem.* At primus Adam non est factus in animam viventem nisi participatione subsistentiæ, qvatenus anima corpori inspirata persona humana constituta est. Ergò & secundus Adam participatione subsistentiæ factus est in Spiritum vivificantem. Qvod tamen non est sic capiendum, qvasi is, qvi prius homo tantum erat, postea DEUS sit factus. Hoc enim falsum: Qvippe non exstitit individua Filii Mariæ caro seu massa anteqvam assumeretur, tametsi non nisi individuæ illius naturæ humanæ fuit, qvam λόγος in suam hypostasin ἐν ἀπόμῳ assumpsit de qvo vide Pelargum in lib. 3. Damasc. c. 8. 9. 11. ubi istas propositiones rejiciendas esse docet: Christus secundùm qvod homo est Persona, & Christus secundùm qvod homo est ὑπόστασις, & illam: In Christo sunt duo individua. *Si autem qværas,* inqvit, *rectius dicatur, Christus secundùm qvod homo, individuum: affirmare licebit, si individuum accipias pro uno, qvod est indivisum in se: negandum id verò si individui nomen accipiatur*

pro eo, qvod ab aliis est divisum, qvodq; per se & in se subsistit, qvia humana natura in Christo unita est Verbo. Hæc Pelargus ex Bonavent. in lib. III. sentent. distinct. X. qvæst. III. art. 2. Qværit & de illâ propositione: *Christus secundùm qvod homo est suppositum, & suppositum distinguit, in qvo & de qvo. Si dicatur illud, de qvo prædicatur alterum & qvod subjicitur superiori, vera est propositio: si dicatur suppositum in qvo totum esse rei stabilitur & fundatur, falsa est propositio.* Hæc obiter.

§. III. Addimus rationes invictas demonstrantes communicationem ἰδιωμάτων, puta totum articulum Symboli Apostolici, naturæ humanæ in consortium Trinitatis evectionem, enunciationum personalium veritatem, Mariam Θεοτόκον, duas λόγε nativitates, passionem unius de Trinitate, crucifixionem Domini gloriæ, carnis Christi in ipsius λόγε thronum collocationem, operationem λόγε per carnem, qvæ omnia, si Filius Dei carnem personaliter non actuat sive subsistere facit, recto stare talo neqveunt. Tandem: si humanæ naturæ non est communicata hypostasis Filii Dei, seqvitur, qvod humana natura Christi aut nullam habeat ὑπόστασιν, aut propriam, eamq; diversam ab hypostasi Filii Dei. Utrumqve falsum. Si enim nullam habet hypostasin, nec subsistet, imò ne

existet

existet qvidem, nec cum divina natura constituet unam personam, neqve Christus erit una persona. Si propriam habet, vicit Nestorius, & cum eo agnoscendi duo Filii, duo Christi. *Concedit* Wendelinus, *nullam habere hypostasin*, sed eadem opera negabit esse substantiam: hujus qvippe proprium est subsistere non illo tantum generali verum etiam presstiore existentiæ substantialis modo, sive eum habeat à se sive non: interim absqve hoc sit, substantia esse desinit. Putat Wendelinus, *seqvi ex nostra sententia, Christum esse personam geminam, qvarum una sit per communicationem, altera per naturam*, sed facilè hoc diluitur. Persona λόγε gaudet subsistentia propria: hac qvia caret humanitas, non est Persona, eadem tamen gaudet subsistentia, sed communicata. Nempe eadem hic subsistentia est, at non eodem modo. Qvemadmodum eadem vita est animæ & corporis, eadem hypostasis, idem calor ferri & ignis, qvi est in poris ferri, idem sangvis Dei & hominis, non tamen eodem modo. Nec valet conseqventia: Deus habet sangvinem proprium per communicationem Act. XX. 28. Ebr. II. 14. Homo habet sangvinem proprium per naturam. Ergò geminus est sangvis.

§. IV. Assonant veteres, qvorum dictis citandis nunc supersedemus. Mentem eorum fideliter

fideliter expressit Damascenus, è qvo nonnulla jam vidimus, qvibus addatur locus cap. 3. lib. 3. explicans, qvo pacto compositio intelligenda sit. *Non unius compositæ naturæ Christum esse docemus, neqve ἐξ ἑτέρων ἕτερον ex aliis aliud, sicut ex anima & corpore homo est, aut ex qvatuor elementis corpus, sed ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτά. Nam ex Deitate & humanitate Deum perfectum & hominem perfectum* EUNOEM *& esse & dici & ex duabus & in duabus naturis confitemur.* Hæc ille. Adjungamus Concilia Oecum. III. IV. & V. & genuinum eorum sensum ex ipsis adversariis eruamus. Hoc enim pacto & illis evidentior authoritas atqve robur conciliabitur & protervia aliorum fortius retundetur. Audiamus Polanum & Walæum, qvibus paria in Sohnio, Scarpio, Maccovio legi poterunt. Sic ergò Polanus lib. V. Syntagm. cap. XVI. *Unio personalis consistit in communicatione subsistentiæ Verbi cum natura assumpta, id est, qva communicatione verbum humanæ naturæ per se ἀνυποστάτῳ i. nullam per se subsistentiam habenti factum est ὑπόστασις non autem in communicatione sive transfusione realiattributorum in humanitatem, sic ut Forma unionis hypostaticæ duarum naturarum in Christo sit communicatio subsistentiæ Verbi cum assumpta natura. Nam Verbum subsistentiam suam naturæ humanæ assumptæ communicavit, id est, communem fecit, ut sit*

etiam

etiam subsistentia seu hypostasis naturæ humanæ assumptæ. Probat hæc Polanus ex Anathematismo II. Epistolæ Concilii Alexandrini receptæ & probatæ in Synodo Ephesin. & Chalcedonensi: *Si quis non confitetur carni secundùm subsistentiam unitum DEI Patris Verbum, anathema sit.* Et è Synod. V. *Si quis dicit, secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm honoris æquabilitatem aut relationem aut effectum aut virtutem &c. & non secundùm compositionem, id est, secundùm subsistentiam unionem verbi in carne factam esse, anathema sit.* Unde liquidum est, defendi à Polano veram & realem communicationem hypostaseos ejusdem, *quæ humanæ naturæ perfectissima existendi modo in unitate personæ τῷ λόγῳ donata sit. Et hanc esse Radicem & hoc FUNDAMENTUM esse*, ait, *nostræ salutis, quod nostra natura, quam assumpsit Filius Dei in unitatem personæ, non in se ipsa consistat, sed immediatè in principio suo per unionem hypostaticam, quod qui non tenent, EOS NON TENERE FUNDAMENTUM salutis immobile & invictum à Prophetis & Apostolis in Ecclesia expositum asserit.* Walæi Loc. Comm. de union. hypostatica hæc verba sunt: *Vera & orthodoxa doctrina hæc est, quod unio hypostatica in eo consistat, quod Persona Filij humanam naturam propria personalitate destitutam assumpserit, & personalitatem seu subsistentiam*

sistentiam ei communicaverit, non transfusione: sic enim essent duæ subsistentiæ: sed communione, adeò ut subsistentia, per quam divina natura Filij sola subsisteba, jam etiam faciat, ut humana eodem subsistendi modo subsistat. Probat inde 1. *qvia Christi Persona est unica non duæ.* 2. *qvia unio facta est in eo, qvod Filius Dei habuit proprium, non in eo, qvod habet commune cum Patre & Spiritu Sancto.* 3. *qvia si distinctio subsistentiæ in divinis constituit distinctas personas, etsi essentia una est, etiam identitas vel unitas subsistentiæ constituit unitatem personæ, etsi naturæ sunt diversæ.* 4. *qvia modi loqvendi Scripturæ de hoc mysterio idem evincunt* I. Cor. XV. 45. Ebr. II. 14. Phil. II. 6. Joh. I. 14. 5. *qvia modi loqvendi in Scriptura de communicatione idiomatum idem hoc evincunt: Deus suo sanguine redemit Ecclesiam: Filius hominis est in cælo: Filius hominis est Dominus Sabbathi: sine patre, sine matre: passus secundùm carnem.* 6. *qvia sic in veteribus Synodis adversus Eutychen & Nestorium rectè definitum.* Hæc Walæus. Qvæ notanda contra alios, qvi vel communicationem subsistentiæ expresse negant, vel eandem qvidem admittunt, sed tales addunt commentationes & explicationes per qvas concessa evertuntur, fingentes *assumtivam*, ut vocant, *participationem hypostaseos*, & contendentes *non aliter factam esse communicationem qvam qvod hypostasis unita sit huma-*

humanitati, esse suum naturæ habeat humanitas in persona λόγε, à λόγῳ sustentetur & in λόγῳ existat, in societatem assumpti officij mediatori, denique *impropriè communicari personalitatem*, &c. Assumptiva enim participatio nomen est revacuum. Unio sine vera communicatione hypostaseos & in fidelibus atque beatis & in columba unita ad personam Spiritus Sancti locum habet. Non ergò unio rem conficit. Neque de esse naturæ hic sermo est, sed de esse personali. Nam esse naturæ carni Christi est commune cum aliis hominibus, è quibus tamen nemo in personam τοῦ λόγε assumptus est. Quid? quod omnes creaturæ esse suum naturæ in λόγῳ obtineant vel à λόγῳ, quarum tamen nulla verbo hypostaticè unita sicut caro Christi subsistens in λόγῳ actu personali. Sustentatio est actus secundus insufficiens ad exprimendum mysterium tantum. Quod ipse agnoscit Bergius in Anal. doctr. de Pers. Christi θ. 74. *Sicut*, inquit, *in assumptione, ita in sustentatione naturæ humanæ distinguendum est id quod est proprium λόγε, nempe ratio termini sustentantis, hoc est, complentis hypostaticè illam naturam ab eo quod est commune toti Trinitati, nempe ratio principij sustentantis, hoc est, conservantis effectivè eam naturam. Hoc posterius non sufficeret, ut persona sustentans verè diceretur ho-*

tur homo. Nam esse hominem non actionem, sed ipsam substantiam denotat, vel ut nonnulli loqvuntur non actum secundum sed primum. Sed ratione prioris verè est & dicitur homo, qvia ita sustentare, nihil aliud est, qvam terminare hypostaticè. Hæc ille. Qvare subsistentia divina naturæ humanæ communicari eamq; hypostaticè terminare dicenda est, non effectivè tantùm sive in genere causæ efficientis per actum secundum nudæ sustentationis, sed in genere causæ formalis, sic ut natura humana ipsum illum æternum purissimum atqve simplicissimum actum subsistentiæ τὸ λόγῳ obtineat: hoc enim facit unitatem personalem si unus sit actus subsistendi naturæ sive uni sive duabus actu primo seu formaliter competens. Qvomodo Frid. Spanhemius Synt. Disp. Theol. disp. 38. Th. 9. *Unionem personalem sic dici,* ait, *tum ratione formæ, tum ratione termini, ut qvæ in Persona Filij Dei sit & ad eandem terminetur.* Existentia enim in Filio Dei sola non sufficit, qvippe qvæ & sanctis competit, sed insuper reqviritur terminus ἑνωτικὸς uniens naturas, per qvem factus est, ut caro non sit λόγῳ socia (sic enim persona dividitur) sed ipse λόγος, eadem nempe hypostasi λόγος & homo, unus & idem Filius Dei naturalis & æternus. Qvod qvi negat, articulum secundum Symb. Apostolici qvantum in se est, evertit.

Impro-

Impropria communicatio Nestoriana est. Propriè subsistit in λόγῳ assumpta caro non tropicè. Proprietate, inqvam, non naturæ sed significationis. Qvanqvam enim modo ineffabili & supernaturali facta sit communicatio, tam accuratè tamen verè realiter & propriè dicitur caro subsistere in Persona Filii Dei, qvam verè realiter, accuratè & propriè humana natura Petri in individuo Petri dicitur subsistere aut palmites sylvestres insiti in vitem generosiorem, in qva perfectiorem & nobiliorem subsistentiam consequuntur.

§. V. Prius qvam hinc abeamus unam atqve alteram objectionem adversariorum refutemur. Objiciunt primò: *Subsistentiam non posse communicari nisi etiam Character Filij Dei (qvi est, ab æterno à Patre per communicationem ejusdem numero essentiæ esse genitum) communicatur, cum in λόγῳ pro uno & eodem veniant, esse actum personalem & à priore ab æterno genitum esse.* II. *Si subsistentia λόγυ communicatur humanæ naturæ, etiam Deus erit per communicatam naturam, cum unio naturarum sit ejusdem efficaciæ, ac unio humanæ naturæ cum subsistentia λόγυ: nec hilum valet qvorundam distinctio, illum esse DEUM, non ἀσιωδῶς sed ὑποστατικῶς, cum nemo sit Deus hypostaticè, qvi non idem sit Deus essentialiter.* III. *Cum hypostaticè*

 subsistens

subsistens idem sit, atque personam esse, humanæ Christi natura erit persona, & qvidem veleadem cum hac, vel diversa: Si illud, triumphum aget Eutyches; si hoc, vincit Nestorius. IV. *Personalitatem non potuisse communicari eo qvod persona sit incommunicabilis.* Resp. ad primum: In divinis non valet illud vulgatum: Qvæ realiter non differunt eorum communicato uno communicatur alterum. Essentia qvippe communicata est Filio & Spiritui Sancto non Patris character hypostaticus, qvi tamen abessentia realiter non differt. Sic communicata est carni hypostasis λόγυ ab æterno à Patre geniti, ut dicere possim: λόγ☉ ab æterno à Patre genitus natus est ex Maria. Non autem rectè dicitur: ipsum actum personalem sive characterem esse natum. Non confundenda abstracta cum concretis. Walæus ideò negat consequentiam, qvia generatio est causa hypostaseos constituens propria, non proprietas consequens constitutionem personæ: *Anima*, inqvit, *Adami communicat corpori suam hypostasin, non autem ideò creatio à Deo ei communicata est.* Ad secundum reponimus illud invictum: in Christo est ἄλλο καὶ ἄλλο, non ἄλλ☉ καὶ ἄλλ☉. Non ergò unitæ naturæ confundendæ, aut de se invicem in abstracto prædicandæ, consideratæ in statu naturali secundùm se. Qvanqvam verò dicere neqveam:

Humana

Humana natura in abstracto sumpta est Deus, aut, humana natura verbo unita est Deus: in concreto tamen rectè dico, homo est Deus, nempe ὑποστατικῶς qvia in Christo non est ἄνθρωπος ἀνθρωπος. Humanitas à λόγῳ assumpta vel humanitas Christi neqve essentialiter neqve personaliter Deus est, sed Deo verbo unita, λογωθεῖσα, θεωθεῖσα. Ad tertium repetimus supra dicta. Humana Christi natura non est persona: non enim subsistit subsistentia propria (qvod ad personam reqviritur) sed communicata. Humana Christi natura, nec eadem est cum persona Christi, identitate videlicet essentiali, nec tamen est planè diversa, nempè diversitate subsistentiæ & personalitatis. Hæc enim eadem est & communis λόγῳ & carnis. Qvod qvi negat, ad Nestorium transit. Ad qvartum: Negamus à subsistentia creata valere consèqventiam ad increatam. Hæc enim ob infinitam perfectionem communicabilis est. Neqve in creatis hypostasis aliam notat incommunicabilitatem, qvam ad aliam personam sive alterum ejusdem naturæ intelligentis suppositum: ad aliam naturam fieri posse communicationem ipse agnoscit & probat Altingius Probl. Theol. p. 1. p. 48. gemino argumento: 1. *qvia sic docet fides Christiana in mysterio unionis personalis.* 2. *qvia hæc non pugnat cum persona*

& formalitate ipsius: cum non terminetur ulterius persona, sed potius ipsa terminet existentiam naturæ, cui communicatur. Communicatio verò quæ sit alteri personæ pugnat: esset enim ad terminum ultiorem. Repugnat autem & contradictionem implicat id quod ultimo terminatum, denuò terminari, quatenus tale est. Hæc Altingius.

§. VI. Seqvitur communio naturarum unâ Personalitate gaudentium, qvæ est unionis personalis velut formale. Unio enim est ζωηρὰ κοινωνικὴ τ̃ διαφόρων πραγμάτων, *concursus communicativus rerum vel naturarum diversarum seu differentium.* Qvæ unionis definitio communionem naturarum solidè evincit. Sed hanc rem pluribus persequamur. Initio removendi omnes Eutychianismi, qvales sunt: comprehensio localis divinæ naturæ, adæqvatio item confusio & permixtio naturarum, abolitio essentiæ & proprietatum. Hæc & similia opinionum monstra & portenta ad Indos & Garamantas relegamus. Qværitur de mutua & reciproca naturarum participatione, qvam consequitur tum possessio reciproca, qvâ divina natura κατ' ἀνεχώρησιν humanam naturam intimè permeat, inhabitat, perficit sibiq; appropriat & caro vicissim divinam naturam inhabitantem & perficientem cum omni Deitatis plenitudine verè & realiter possidet; tum usurpatio &

tio & denominatio, qva natura divina dicitur incarnata, humana verò Deificata, salva naturarum distinctione. Sicut enim divinitas suas retinet proprietates, sic & humanitas suas. Haud secus ac anima sua retinet ἰδιώματα, sua corpus, etiam tunc, cum unitissima sunt & mutua περιχωρήσει sive immeatione permeat anima corpus, & hoc ab illo habitatur & permeatur. Consimili ferè modo utraqve Christi natura sua retinet propria, sic tamen ut possideat λόγος humanitatem, eaq; utatur tanqvam organo ἐνυπαρκτῷ ἐνεργείᾳ καὶ ὑπερφυικῷ Damasc. lib. III. cap. 15. humanitas verò λόγου recipiendo gloriam propriam inhabitantis Dei. Facta enim est unio, recte sic definiente Concilio Chalcedonensi, ἀσυγχύτως sine commixtione & confusione aut commutatione divinæ naturæ in humanam: ἀτρέπτως sic ut divina natura humanam non absorbeat, aut hæc in illam convertatur: ἀδιαιρέτως sine divulsione personæ; ἀχωρίστως sine separatione naturarum. Et confundentes (Eutychiani) & dividentes (Nestoriani) devitandi sunt. Audiamus Damascenum veteris Ecclesiæ sensum in hoc puncto exprimentem. *Quemadmodum*, inqvit, *tres hypostases supernæ Trinitatis inconfusè uniuntur & indivisibiliter discernuntur & numerantur, & numerus di-*

 visionem

visionem, distantiam, alterationem aut sectionem non inducit (nam unum Deum agnoscimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum) eodem quoque modo & Christi naturæ tametsi uniuntur, inconfusè tamen uniuntur: & tametsi in se invicem commeant, immanentq; versionem tamen in invicem & transmutationem non admittunt. Servat enim utraque suæ ipsius naturalem incommutatam proprietatem: quare & numerantur & numerus non inducit divisionem. Nam unus est Christus in divinitate & humanitate perfectus. Numerus enim non divisionis aut unionis causa est, sed eorum quæ discreta sunt, quantitatis significativus, sive unita sive divisa sint. Unita, ut quod numerus hic quinquaginta lapides habet: Divisa, ut quod quinquaginta lapides jacent in hoc campo. Unita, ut quod duæ naturæ sint in carbone ignis dici & ligni: Divisa, ut quod natura ignis altera est, & natura ligni altera &c. lib. III. cap. V. *Sciendum insuper,* inqvit cap. VII. *quod etsi se invicem immeare Domini naturas dicimus, Scimus tamen, quod ex divina nutura immeatio provenit: nam omnia pertransit, quemadmodum vult, & permeat omnia, per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem* τὰ οἰκεῖα αὐχήματα *proprias glorificationes carni tradit, cum ipsa maneat impossibilis* &c. Ex qvibus lucem capiunt, qvæ cap. XVII. leguntur: ubi dicitur caro Θεωθεῖσα, τεθεωμένη, οὐ κατὰ μεταβολὴν ἀλλὰ καθ' ἕνωσιν καὶ περιχώρησιν

τῶν φύ-

τῆ φύσεων ἐν ἀλλήλαις, Deificata non secundùm transmutationem, sed secundùm unionem & immeationem mutuam naturarum. Distingvant nonnulli inter unionem mediatam & immediatam. Non abhorret ab hac distinctione Hutterus noster L. C. pag. 144. ubi sic scribit: *Cum natura divina primo & immediate non sit communicata humanitati (sic enim tota Trinitas esset incarnata) sed consequenter & secundariò, nempe sub persona λόγου: ita ut hac persona mediante, ipsa quoque Natura divina (quippe qua ratione tantum, non autem reipsa differt à persona λόγου) unita & communicata sit carni: ideò personam sive ὑποστασιν τοῦ λόγου immediatum terminum assumptionis istius dicimus: & proinde differentiam specificam Unionis primo ponimus in reali communicatione personæ τοῦ λόγου cum humana natura. Quæ communicatio nihil est aliud, quam ipsa unio. Jam verò, quoniam Deitas sive natura divina τοῦ λόγου à λόγῳ ipso realiter non differt: ideò personæ communicatio sive unio necessariò importat etiam Naturæ divinæ sive divinitatis communicationem, sine ulla tamen naturarum confusione.* Hæc Hutterus qvæ suo loco relinqvimus. Certum est, personam in divinis abstractè non esse modum subsistendi, sed ipsam essentiam divinam certo charactere hypostatico insignitam.

Unde manifestum est, cum persona Filii Dei dicitur incarnata, intelligendam esse naturam divinam, eamq; non ut communem, sed ut subsistentem in persona τῦ λόγυ. Relinquitur ergò unio immediata naturarum, si rem spectemus. Quam & Athanasius in Symbolo inculcat, unionem confessus esse προσλήψιν τῦ ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα *assumptionem humanitatis in deitatem.* Et in Epist. ad Epictetum: *Humanæ naturæ facta est accessio ἐκ τῦ τῦ λόγυ πρὸς αὐτὸν κοινωνίας καὶ ἑνώσεως ex communicatione & unione verbi ad humanam naturam.* Basil. M. Serm. in sanct. Nativ. *Humana*, inqvit, *Domini caro ipsa particeps facta est deitatis.* Hoc passim docet Damasc. potissimum verò cap. VI. & XI. *Dicimus*, inqvit, *totam & perfectam divinitatis naturam in una sui ipsius hypostaseon unitam toti naturæ humanæ, non partem parti. Et quando dicimus naturam verbi incarnatam esse secundùm beatos Patres Athanasium & Cyrillum, divinitatem dicimus unitam esse carni. Quare naturam Verbi dicentes, ipsum Verbum significamus: siquidem verbum & qvod substantiæ est, habet & qvod est proprium hypostaseos. Idem est dicere, naturam verbi & eam qvæ in individuo est, naturam. Nam neqve individuum, id est, hypostasia propriè & solummodo ostendit, neqve qvod hypostaseon est commune: sed communem naturam in una hypostaseon consideratam,*

mum. Hæc Damaſcenus non demegoricè ſed dogmaticè.

§. VII. Sed imprimis audiamus Deum in Scripturis loqventem & adverſariis Naturarum communionem veram & realem negantibus opponamus. Coloſſ. II. 9. dicitur πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικεῖν ἐν Χριστῷ σωματικῶς. Hic notandum inhabitationis ſubjectum qvod eſt natura humana. Divina hic intelligi neqvit: inhabitatio enim iſta procedit ex divina εὐδοκίᾳ cap. I. 19. Ad divina natura in ſe ipſa eſt φύσις non εὐδοκία. Et qvid eſſe dicere: Deitas habitat in Deitate? Ergò intelligenda humana natura. Manifeſta enim eſt diſtinctio inhabitantis Dei & habitaculi. Idem arguit vox σωματικῶς, qvæ de toto homine capitur Ebr. X. 5. Jac. III. 7. Unde & Syrus interpres vertit corporaliter. Confer antecedentia & conſeqventia. Illa intelligitur natura, ſecundùm qvem nobis ὁμοίωσις crucifixus, mortuus, ſepultus eſt Cap. I. 20. 22. II. 10. 11. 12. 14. Adde locum parallelum Joh. I. 14. *Verbum caro factum eſt & habitavit* ἐσκήνωσεν *in nobis & vidimus gloriam ejus.* Ubi τὸ ἐσκήνωσεν ad eminentiſſimam illam inhabitationem digitum intendit, qvæ שְׁכִינָה Rabinis dicitur Gloſſ. ord. *corporaliter* inqvit. *Qvia in Chriſti corpore qvod*

umpſit de virgine tanqvam in templo habitat Deus, ſed non ita in Sanctis, qvia ille caput, in qvo omnes ſenſus, in iſtis qvaſi ſolus tactus, qvibus datus eſt Spiritus ad menſuram de qvibus non poteſt dici: Verbum caro factum eſt, nec qvisqvam illorum dicitur unigenitus Dei. Præceſſerat: *Corporaliter. Non qvia corporeus ſit Deus: ſed verbo translato uſus eſt, qvia in templo manu facto non corporaliter ſed umbratiliter habitavit, i. e. præſigurantibus ſignis.* Poſteriorem explicationem arripientes Adverſarii dicunt eſſe in loco Paulino *oppoſitionem umbræ & corporis, Deum unitum eſſe humanæ naturæ non umbraticè & ſeparabiliter, ut in typis V. T. verum perſonaliter, qvemadmodum corpus umbræ opponitur.* Aliorum ſententia eſt *non intelligi humanam naturam ſed perſonam Chriſti.* Sed faciamus priorem explicationem textui analogon eſſe, nondum evertitur id qvod nos intendimus, & manet τὸ σωματικῶς rectè verti corporaliter hoc ſenſu: Tota plenitudo Deitatis habitat in carne Chriſti tanqvam proprio corpore, non tanqvam in templo typico. In hoc enim nuſpiam dicitur habitaſſe πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος. Nempe hæc verba demonſtrant, univerſam gloriam Filii Dei ſic communicatam eſſe carni & ſic per eam ſe exſeruiſſe, ut ne minimum qvidem Deitatis ſit attributum, qvod cum carne non ſit communicatum. Qvomodo Epiphan. in Ancor.

cor. dixit carnem Christi esse δοχεῖον τῆ θεότητος receptaculum deitatis. Benè Chrysostomus homil. de Sp. S. Tom. III. *Non dicit simpliciter, in quo habitat Deitas, sed plenitudo Deitatis, hoc est, omne deitatis donum. Et ne quis putet, quod in Dei verbo habitaverit, dicit, in quo habitavit omnis plenitudo deitatis corporaliter. In carne enim ejus omnis plenitudo sapientiæ, intellectus, virtus signorum, omnis operationis.* Hæc Chrysostomus consentaneè verbi Johannis: Vidimus gloriam ejus, gloriam tanqvam unigeniti à Patre. Theodoret. cap. de Antichristo: *Verbum homo factum non particularem gratiam assumptæ contulit naturæ, sed totam plenitudinem Deitatis complacuit in ipso habitare.* Qværit Bas. Mag de Incar. verbi: *Qvomodo Deitas est in carne?* & respondet: *Sicut ignis in ferro, non transitivè sed communicativè. Non enim excurrit ignis ad ferrum: sed manens in suo loco communicat seu impertit ferro ignito propriam facultatem, nec communicatione illa minor fit, sed seipso totum ferrum replet, qvod particeps est ignis.* ἐν αὐτῷ, ἦσαν, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ inqvit Damasc. lib. III. cap VI. Non ergò intelligenda persona, sed caro Christi. Qvi de persona intelligunt, his errandi principium est, qvod personam qvasi tertium aliqvod à Naturis diversum statuunt: cum tamen Christus non sit ἐξ ἑτέρων ἕτερον sed ἐξ ἑτέρων ὁ αὐτὸς, ut supra ex Da-

ex Damasceno observatum. Relinqvitur ergò, de carne Christi τὸ ἐν αἵματι esse capiendum, & revera carnem participem esse factum Deitatis. Idem demonstrat locus Ebr. II. 14. ubi dicitur Persona Filii Dei *communicasse carne & sangvine sicut pueri.* Ubi qvid per carnem & sangvinem intelligendum sit, nemini obscurum esse potest. Rectè Athanasius dial. V. contr. Arrian. μετέχων αἵματος καὶ σαρκὸς, ἤτοι ἐστὶ, τοῦ ἀνθρωπίνου. Habes ergò μετέχω communionem Personæ secundæ Trinitatis (de hac enim contextus loqvitur) cum humanitate sive natura humana. Communionem, inqvam, non tropicam aut verbalem, sed veram, propriam & realem. Qvam verè enim & realiter pueri sunt participes carnis & sangvinis per naturam, tam verè & realiter λόγος particeps est humanitatis per assumptionem in propriam hypostasin. Ex duobus incommunicabilibus non potest fieri unum incommunicabile ὑφιστάμενον. Samosateni error fuit, teste Suida in Paulo, *duas naturas in Christo esse inter sese mutuo per omnia incommunicabiles.* Idem Nestorius docuit negans Mariam esse Θεοτόκον. *Sic dicenda est*, inqvit Damasc. lib. III. cap XII. *non solum propter naturam verbi, sed etiam propter θεωσιν τῆς σαρκὸς deificationem carnis.* Qvæ sic tamen intelligenda est,

da est, ne Eutychiana confusio & commixtio inducatur, sicut ante monitum. Deificat λόγος humanitatem, qvatenus eam non tantum hypostasi sua donat, qvam habet humanitas tanqvam sui qvoddam substantiale & intrinsecum complementum, verum etiam divinitatis suæ & infinitæ majestatis gloria implet ac perficit intrinsecè per περιχώρησιν, ut divinis operationibus tota coruscet. His adde locum I. Cor. XV. 45. *Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem.* Unde colligimus: Sicut primus Adam factus est in animam viventem animæ sibi communicatæ vera & reali participationem, sic & homo Christus factus est in Spiritum vivificantem, Deitatis (hæc enim Spiritus est Roman. I. 4. I. Petr. III. 18.) τὸ λόγος vera & reali communicatione. Qvam si sustuleris habebis Filium Mariæ titulotenus Filium esse altissimi, λόγον nominetenus esse carnem factum, hoc est, incarnationem tantum verbalem esse, Dominum gloriæ verbotenus passum &c.

§ VIII. Horum tanta evidentia est, ut adversariis expresserit veritatis confessionem. Heidelbergens. im aufführt. Bericht. pag. 10. fatentur, *blasphemare illos, qvi ajunt, divinam & humanam naturam inter se invicem veram & realem communionem non habere.* Eandem agnoscunt

Polan.

Polan. aliiq; qvi περιχώρησιν naturarum admittunt. Expresse Bergius Anal. doctr. de Pers. Chr. *calumniam esse*, ait, *Reformatos communionem tantum verbalem & titularem fingere.* Cui calumniæ opponimus verba Bezæ in Colloq. Mompelgart. p. 294. *Deitas humanitati non est communicata.* Eadem habent alii. Etsi fatentur veram & realem communionem, cur eam tot argumentis oppugnant? Qvalia sunt; *si λόγῳ carni divinitatem communicavit, utiqve ea Deus evasit, facta est impatibilis, & immortalis, λόγῳ autem mortalis factus propter naturarum reciprocam communicationem.* Qvid his & similibus nugamentis opus est, si veram credunt naturarum communionem? Nugamentis, inqvam: Non enim si anima corpori vitam communicavit, seqvitur, animam immortalitatem communicasse, aut corpus animam evasisse: neqve si ignis ferro communicat facultatem urendi, seqvitur ferrum ignem factum esse aut facultatem habere tendendi sursum. Neqve enim περιχώρησις prædicationes essentiales aut synonymicas sed paronymicas efficit, ut dicere qveam, caro est deificata, corpus animatum, ferrum ignitum. Neqve confundenda communicatio ζωοδυναμική, ut loqvuntur, cum confusiva, conversiva & exæqvativa. Qvod

attinet

attinet reciprocam communionem, repetenda sunt verba Damasceni § 6. ex qvibus manifestum est ex parte divinæ naturæ immeationem & communicationem se habere activè; ex parte humanæ verò passivè. Mansit λόγος in se impatibilis. Adde si veram & realem fatentur communionem naturarum, cur eam suis distinctionibus & limitationibus pessundant, qvibus *communicationem Deitatis eatenus factum esse* contendunt, *qvatenus in illa subsistit caro, & communicationem intelligunt respectu personæ realissimam, non respectu naturarum: qvomodo pes, caput & reliqvæ partes integrantes communicantur toti ad illius integritatem & perfectionem.* Qvæ profectò ineptè dicuntur. Nam nec subsistentiam seriò credunt communicatam ut supra ostendimus: qvomodo ergò credent communionem naturarum qvam cum illa confundunt? & qvid est dicere naturarum communionem respectu ipsarum nullam qvidem esse vel verbalem, at respectu personæ esse realissimam? Qvomodo enim personæ caro communicare potest, qvæ ab omni communione ὑποστάσεως λόγου penitus exclusa est? Similitudo partium integrantium corporis impertinens est: in his qvippe nulla περιχώρησις. Dices, hunc esse sensum: *Christus est homo & Christus est Deus: & sic resolvi debere propositiones personales Deus est homo, homo est Deus:*

Non

Non enim esse Christum secundùm utramqve naturam Deum, sed Christi hominis personam, cui hypostaticè unita est caro, esse Deum. Sed de propositionibus personalius mox agendum. Hic notamus, propositiones istas *Christus est homo & Christus est Deus*, non esse propositiones personales exqvisitè sic dictas, nec tam personalem importare communionem qvàm naturarum unitarum dualitatem, nec exprimere qvid humanæ naturæ à λόγῳ assumptæ vi unionis personalis sed qvid personæ integræ conveniat. Interim Nestorianum est dicere, Christum secundùm humanam naturam non esse Deum, sive qvod idem est, Christum hominem non esse verè Deum, sed tantum appellatione & verbaliter. Sic enim Nestor. Anathem. VII. *Hominem ex Maria natum appellatione solâ verbi participem factum esse* statuit, sive *dici Deum propter aliqvalem cum Deo conjunctionem, & ex ea resultantem habitudinem.* Relinqvitur ergò, Christum secundùm utramqve naturam esse Deum. Nam & sanctum qvod ex Maria natum est, & Filius Dei est Deus. At sanctum illud & Filius Dei est Christus secundùm utramqve naturam. Qvanqvam enim humana natura non sit Deus, omninò tamen Filius Mariæ est Filius Dei, nempe personaliter. Absqve hoc esset duo forent filii, alter naturalis alter adoptivus, ut Felix & Elipandus

pandus delirabant. Christi hominis personam, cui hypostaticè unita est caro, esse Deum, facilè itidem largietur Nestorius sed consvetis æqvivocationibus, qvas suas fecerunt adversarii. Si cum dico, homo est Deus, vox homo significat Personam divinam humanitati unitam, falsissimum est, per unionem personalem fieri, ut homo sit Deus: Hæc enim persona divina, qvæ nunc sibi habet unitam humanitatem, ab æterno fuit Deus ante unionem.

§. IX. Sed de propositionibus personalibus exprimentibus & communicationem hypostaseos & naturarum communionem nunc videamus. Propositiones personales vocamus has: Homo est Deus, & Deus est homo, item illas: Deus homo fit, vel factus est, Deus ex virgine homine natus est. Ubi notandum, cum dico Christum assumpsisse naturam humanam, esse phrasin explicandum secundùm doctrinam propositionum personalium ut in subjecto intelligatur concretum naturæ. Non enim intelligitur Christus secundùm naturam humanam, sed secundùm divinam, hoc sensu, Filius Dei assumpsit humanam naturam, λόγος ἄσαρκος factus est ἔνσαρκος, verbum caro factum est. Qvæ prædicatio unionis actum, sive ipsam incarnationem respicit. Unionis statum respiciunt prædicationes personales primi generis:

Deus est homo, homo est Deus. Qvibus æqvipollet ista: Christus secundum humanam naturam est Deus, qvia Christus secundùm naturam humanam homo est. Nihil ergò aliud dicitur qvam hominem esse Deum. In his enunciationibus concretum naturæ intelligitur non per se & abstractè sed in unione personali consideratæ. De resolutione & natura hàrum enunciationum qværitur. Adversarii variè hìc impinguntin publicis & privatis scriptis, contendentes, *istas propositiones respectu naturarum verbales esse, non reales, tropicas, improprias, explicandas per ἀλλοίωσιν respectu hypostaseos esse essentiales & identicas.* Ipsos audiamus. Admonitio Neostadiana pag. 70. statuit, *prædicationem humanorum de Deo, & divinorum de homine qvantum ad naturas, tantùm esse verbalem.* Et pag 156. *Humanitati*, inqvit, *Deitas non realiter data vel communicata est, sed personaliter unita, hoc est, non sic ei data est, ut ipsa sit Deitas vel Deus.* Et pag. 68. *Deus realiter est homo respectu humanitatis suæ, sed nominetenus respectu Deitatis suæ non realiter.* Leidenses in Synopsi Disp. XXV. Th. 37. *Hoc genus Enunciationis in persona* dicunt *esse reale & proprium: in natura seorsim considerata ne verbale qvidem, at verò de Persona cum respectu naturæ verbale, id est pertinens ad phraseos explicationem, impropriu̇m, aut, ut alij volunt, inusitatum est.* Rotundè

Danæus

Danæus Op pag. 1334. *Non Dei Filius Deus & homo est: sed idem, qui Dei filius est, & homo est.* Ex his patet existimare Calvinianos, propositiones personales respectu naturatum ne verbales, imò ne veras quidem esse. Unde fit, ut ad tropos, Synecdochos, ἀλλοιώσεις se convertant. Pier. disp. thes. IX. explicat has propositiones per τρόπον ἀντιδόσεως, *quo una natura dicitur prædicari de altera propterea quia actus primi notatio ponatur pro significatione actus secundi, ita ut Deus dicatur homo*, id est, *hominem sibi habere unitum & sustentare.* Piscat. ad Hoffm. pag. 22. & 23 in propositionis hujus (Deus & homo) subjecto (Deus) triplicem Synecdochen esse statuit: 1. *Synecdochen generis, quo ponatur Deus, quod vocabulum notet omnes personas Trinitatis, pro secunda tantùm persona.* 2. *Synecdochen membri, quia ponatur secunda persona divinitatis seu sola natura divina & λόγος pro toto Christo constante ex divina & humana natura.* 3. *Synecdochen integri, quia ponatur totus Christus pro humana duntaxat natura, hoc sensu: Humana Christi natura est homo, sicut Petrus vel Paulus est homo, ita ut de individuo homine Christo prædicetur species, homo videlicet universaliter sumptus.* Atqve hæc est illa ἀλλοίωσις Zwingliana, negans Deum ita accipiendum ut sonat, & hominem ut sonat, qvæ est origo totus delirationis Tropososphorum. Notanter dico,

Zwingliana: qvam enim Lutherus agnoscit ἀλλοίωσιν, hæc toto cœlo ab ista distat: ἀλλοίωσις qvippe Lutheri est ἀντίδοσις sive reciprocatio respectu prædicati, hoc sensu: De filio Dei dici potest, qvod sit homo & qvod sit Deus, & rursus de Filio Mariæ dici potest, qvod sit homo & qvod sit Deus κατ' ἀλλοίωσιν sive κατ' ἀντίδοσιν & alternationem prædicatorum Calviniani ἀλλοίωσιν statuunt respectu subjecti, ut aliud subjectum nominetur, aliud intelligatur, qvod ex dictis clarum est. Sic Beza resolvens propositionem. Ille homo est Deus, *intelligimus*, inqvit, *vocabula Hominis filium Dei, hoc modo: Filius Dei, qvi unitus est humanitati & Deitas ipsius est Deus: Deitas enim humanitati non est communicata.* Coll. Mompel. pag. 294. Ursinus in confid. commonefact. pag. 84 seqq. *Nomen Dei vel hominis in prædicationibus personalibus* dicit, *significare individuam personam unius Christi, de qva essentia divina vel humana prædicatur ut analogia qvædam ad prædicationes speciei de individuo hæ prædicationes referantur.* Orthodoxus Consensus pag. 35. redarguit Lutherum, qvod existimaverit in hac propositione, Homo est Deus, hominem supponere pro humana natura & addit: *In propositione Homo est Deus, non illud, qvod Christus homo, sed qvod in Christo homo est, hoc est,* ὑπό-

στασις

sæne & persona intelligitur. Cum itaqve hinc liqueat, propter ejusdem hypostaseos in subjecto & prædicato identitatem, hominem Christum esse filium Dei prædicatione verè identica, qvia videlicet idem de seipso, hoc est, Filius Dei de sua hypostasi ab altera & assumpta natura appellata, propriè & essentialiter prædicatur &c. Pessimè. Homo enim Deus est personaliter, non essentialiter.

§. X. Hactenus sententiam Adversariorum vidimus, ad cujus examen accessuri, ex Logica prænotamus, omnem prædicationem Logicam esse prædicationem naturalem & directam, cum nimirum vel universalis terminus de minus universali, vel connotativus de absoluto prædicatur. Huic opponitur prædicatio indirecta, inordinata, contra naturam, cum prædicatur minus universale & absolutum de magis universali & connotativo. His prædicationum generibus addendum est tertium, prædicationis præter naturam & per accidens, in qva subjectum æqvè aptum est, ut sit prædicatum, & prædicatum æqvè aptum, ut fiat subjectum, ut si dicam, album est dulce, Philosophus est Theologus, Imperator Rom. est Rex Hungariæ &c. Nec est, qvod dicas, fieri non posse, ut hæc ipsa de se mutuo prædicentur, cum sint disparata. Nam aliud est disparata prædicari, aliud, terminos, in qvibus disparata implicantur, prædicari. Qvicqvid

sit de priori, posterius fieri posse exempla adducta evincunt. Et ad hoc tertium genus, referri qvodammodo posse prædicationes personales arbitramur. Qvas alii nostratium, magni nominis Viri, haud dubitaverunt paronymicas & accidentales appellare, sed sensu Scholasticorum, qvibus prædicatio Paronymica dicitur esse, in qva tale qvippiam de subjecto prædicatur, à qvo subjectum vel propter conjunctionem aut unionem, aut aliam aliqvam habitudinem denominatur, nec tamen est de essentia subjecti propositionis, sed importat aliqvid extra rationem subjecti, de qvo prædicatur. Cl. Hornejus cum Fonseca censet *tria nova prædicabilia esse constituenda, & prædicata illa genera, species & differentias assumptivas appellat, appellatione inde deducta, qvia non per naturam sed per assumptionem personæ divinæ competunt. Genera autem & species esse statuit, qvod licet contingenter, attamen substantialiter prædicentur, homo & animal qvidem in qvæstione, qvodnam est suppositum, rationale verò animatum &c. in qvæstione de qvali substantiali.* Qvam sententiam non improbamus, si de hac propositione qvæstio moveatur, Christus est homo, Christus est rationalis, animatus &c. Non enim confundendæ prædicationes, Deus est homo & Christus est homo. Nestorius, qvi Deum esse hominem negat, facilè concesserit, Christum

Christum esse Deum & hominem, Mariam esse Χριστοτόκον, matrem hominis Deiferi & Deo uniti. Et distincta esse concreta naturæ & personæ, qvivis videt. Cum dico, Christus est homo, est prædicatio speciei de individuo. Sed alia ratio est prædicationum illarum: Deus est homo & homo est Deus. Qvas referri qvodammodo posse diximus ad prædicationes præter naturam & per accidens. Qvæcunqve enim prædicatio tales habet terminos, qvorum uterqve æqvè aptus natus est subjici ac prædicari, illa prædicatio non est Synonymica vel Paronymica, sed præter naturam & per accidens. Atqvi prædicationes personales, sunt prædicationes, qvæ tales habent terminos, qvorum uterqve æqvè aptus natus est subjici ac prædicari, similes istis, Album est dulce, Imperator est Rex Hungariæ &c. E. Dices, exempla prædicationis per accidens ad præsens negotium accommodari non posse. Verum qvidem esse, cum duo accidentia prædicantur de uno supposito tum ea de se invicem prædicari v. 9. Rex Hispaniæ est Archidux Austriæ, Rex Daniæ Dux Holsatiæ, album est dulce &c. at in his prædicationibus nullam esse terminorum communionem, qvalis est in propositionibus personalibus. Respondeo, ideò dixisse nos, *qvodammodo referri posse*. Fatemur enim, habitudinem inter terminos hosce

planè esse singularem & inusitatam, unde & merito suo hæ prædicationes inusitatæ & irregulares salutantur. Homo enim & Deus est & Deificat° *non secundùm transmutationem sed secundùm* οἰκονομίαν, h. e. *dispensationem, dispositionem, secundùm hypostasin dico, secundùm qvam inseparabiliter Deo verbo unitur, & in se invicem naturarum ingressionem immansionemq́, qvemadmodum dicimus ferri ignitionem.* Damasc. lib. III. cap. XVII. Ad qvem melius intelligendum obiter notamus vocem οἰκονομίας in latiore sensu sæpè pro universa Dei providentia accipi, strictiori tamen significatione capi de illâ divinæ providentiæ specie, qvâ Deus prospexit saluti humanæ mittendo Filium unigenitum in carnem nostram, cujus nativitatem, præconium, passionem, resurrectionem, adscensum vox οἰκονομίας designat. Hinc fit, ut qvæ Christo secundùm humanam naturam competunt, οἰκονομίας; & qvæ secundùm divinitatem tribuuntur φύσεως sive θεότητος esse dicuntur. Theodoretus: Θεὸς μὲν φύσεως ὄνομα, τὸ δὲ ἄνθρωπος δὲ οἰκονομίας προσηγορία, Deus est naturæ nomen, homo verò est agnominatio œconomias, qvam Latini Patres verterunt, dispensationem, dispositionem, officium. Vide Not. Casaub. in Ep. Greg. Nysseni. Sed ad Damascenum redeamus, qvi

lib.

lib. III. cap. XII. *Sic*, ait, *intelligenda & dicenda est Deipara Virgo, non solùm propter naturam Verbi, sed etiam propter Deificationem humanæ carnis* &c. Unde consequitur, cum homo dicitur Deus non tantùm substantiæ identitatem, sed & veram naturarum communionem notari. Cui nihil simile in universa natura reperitur. Atque sic evictum, propositiones personales, ad propositiones præter naturam quodammodo referri posse, atque utraque salva & substantiæ & naturarum communione has prædicationes intelligi & resolvi debere. Dico naturarum communione: quam quia non exprimit resolutio illa; Persona habens Deitatem, est persona habens humanitatem, non magis atq; illa: Paulus habens albedinem est persona habens eruditionem, & Nestorii, (qui facile concesserit, hanc personam, quæ Deus est esse etiam hominem) hæresin sapit, merito explodituɾ. Simul patet, propositiones hasce non verbales, sed reales, non tropicas, sed proprias, non identicas, vel essentiales esse. Qualis enim est communio naturarum, talis est prædicatio. Atqui illa est realissima, E. & prædicatio. Major est clara: modum enim essendi sequitur modus prædicandi. Major ex plurimis Scripturæ locis constat, supra citatis. Porrò, in quacunque prædicatione termini accipiuntur propriè, ita ut à nativa

significatione non demigrent in alienam, illa est propria. Atqvi in prædicationibus personalibus uterqve terminus accipitur propriè, proprietate nempe non naturæ, sed significationis. E. Minor est clara ex Syllogismis expositoriis: Christus est homo, Christus est Deus, Ergò Deus est homo. Messias est homo actu primo, Messias est Deus actu primo, E. Qvi est homo actu primo, est etiam Deus actu primo. In horum Syllogismorum præmissis termini homo, Deus, propriè accipiuntur. Qvare impossibile est in Conclusione accipi tropicè & impropriè. Neqve est, qvod dicas, propriè esse respectu hypostaseos, non autem respectu formarum sive naturarum. Naturæ enim in præmissis non excluduntur sed includuntur. Sicut cum dico, Galenus est Philosophus, Galenus est Medicus, E. qvidam Medicus est Philosophus, hic principaliter significatur forma (hoc est, illud, qvod Galeno dat denominationem sive appellationem) minus principaliter subjectum (Galenus) ut in terminis ejusmodi concretis accidentalibus fieri solet, in qvibus id qvod accidens constituit, sive forma principaliter significatur. Consimili ferè modo se res habet, cum dico, Deus est homo, ubi non qvidem est excludenda hypostasis & identitas suppositi, sed nec excludendum id, qvod conceptu Dei significatur formaliter,

maliter, qvia potius utrumqve includendum, adeoq; sic & non aliter accipiendi termini in conclusione, qvam fuere positi & accepti in præmissis. Deniqve in qvacunqve prædicatione termini formaliter, imò realiter distingvuntur, illa non est identica. Atqvi in personali prædicatione termini formaliter, imò realiter distingvuntur. Ergò illa non est identica. Et, in qvacunqve prædicatione prædicatum formaliter sumptum non est de essentia subjecti formaliter sumpti, illa non est essentialis, univoca vel Synonymica. Atqvi in prædicationibus personalibus prædicatum formaliter sumptum non est de essentia subjecti formaliter sumpti. E. hæ prædicationes non sunt univocæ vel essentiales. Utriusqve Syllogismi Major extra controversiam est. Sed nec de minori ambigi potest vel debet ab eo, qvi terminos ipsos intelligit. Non est qvod objiciant, impium esse dicere, hominem merum esse realiter Deum & per consequens esse essentialiter Deum. Non enim de homine mero, sed de homine vero, Christo nempè, est sermo, h. e. de homine in unione cum λόγῳ spectato. Impia non est Scriptura, cum docet, Germen Davidis esse Jehovam, natum ex Maria esse Filium Altissimi, Filium hominis esse Filium Dei viventis, secundùm hominem esse Deum de cœlo. Nec valet consequentia;

Si re-

Si realis est prædicatio, est etiam synonymica sive essentialis. Multa enim realiter subjecto competunt, qvæ non statim essentialiter prædicantur. Dices: hæc intellectum humanum superare. Rectè: Vera tamen sunt & in sacris literis expresse prodita. Captivanda ergò mens est sub obsequium Christi 2. Cor. X, 5.

§ XI. Expendimus unionem personalem in fundamento & formali suo: reliqvum est, ut debito studio inqviramus in unionis personalis formale, ita ut dicam, consequens, qvam idiomatum communicationem appellare, cujusq; tria genera constituere solemus Scripturas & veteris Ecclesiæ secuti Doctores. Adversarii communicationem idiomatum in meras prædicationes, omni idiomatum communicatione reali vacuas transformant. Nos etsi cum Patribus Nazianzeno, Theodoreto & Damasceno non dubitamus ἀλλοίωσιν, ἐναλλαγὴν καὶ ἐπίζευξιν ἢ κοινωνίαν ὀνομάτων asserere, absit tamen, ut meras nominum commutationes & nudam phraseologiam re ipsa destitutam esse dicamus, cum Scriptura Filium Dei passum, carnem Christi vivificam, Hominem pro mundi vita mortuum esse docet. Neqve ad Philosophica effata recurrendum est. Qvale est illud Porphyrii in Isagog. Impossibile est proprium esse alterius proprium. Qvanqvam & hoc per nos recto

stet

ſtet talo. Non enim propria divinæ naturæ fiunt propria humanæ, aut humanæ propria divinæ. Sed qvæ ſunt propria divinæ, eidemq; ſoli tanqvam πρώτῳ δεκτικῷ primum & per ſe competunt, ſine ſui multiplicatione aut transfuſione humanæ naturæ unitæ ad communem poſſeſſionem, uſurpationem & denominationem conferuntur. Id qvod in aliis qvoqve ſubjectis ζωοδυαδικοῖς, ut appellat Ariſtot. lib. 2. de part. Anim. cap. 2. aut ζωοδεδυασμένοις ſive unitis, fieri videmus, de qvibus egimus Exerc. II. §. XXIV. Adde V. Top. cap. 3. Scriptura κοινωνίαν & μεθέξω aperte urget Ebr. II, 14. Hanc qvi negat, unionem ſolvit, ſi Patres Epheſinos Scripturam ſeqventes audimus: *Qvisqvis negat carnem Chriſti vivificam, unionem ſolvit.* Cyrill. de incarnat. unigen. cap. VII. *Idem in eodem, Deus ſimul eſt homo. Et ſua qvidem dicit Deus λόγος ea qvæ ſunt carnis propria.* QVIA IPSIUS EST CORPUS ET NON ALTERIUS: *Communes autem facit tanqvam cum ſua carne, divinæ ſuæ majeſtatis operationes, ut poſſit etiam vivificare mortuos.* Vigil. lib. 5. cont. Eutych. *Sicuti impium & ſacrilegum eſt, ea, qvæ ſunt propria carnis, ad naturæ verbi proprietatem referre: ita qvoqve impium & ſacrilegum eſt; ea, qvæ ſunt propria carnis, per exceptionem proprietatis alienare à verbo,*

cum

eum Christus sit utrumque. Damascen. lib. III. c. 4. λόγῳ ea, quæ humana sunt ἰκειῶται propria facit, & quæ propria sua sunt, μεταδίδωσι communicat carni cap. 7. & 15. Divitas ipsa proprias glorificationes (ἀνχύματα) carni communicat. Et cap. XVII. Caro Domini divinis actionibus ditata est propter purissimam ad verbum unionem, quæ est καθ' ὑπόστασιν nequaquam naturalium proprietatum excidentium sustinens. Huc pertinet similitudo ferri igniti, cujus ex Basilio Damascenus meminit. Humana, inqvit, Dei caro particeps facta est Deitatis, sicuti ignis communicat sive impertit propriam facultatem, vim & potentiam, nec communicatione illa minor sit, sed seipso totum ferrum replet, qvod illa unione particeps est ignis. Τίνα τρόπον ἐν σιδήρῳ ἡ θεότης? ὡς τὸ πῦρ ἐν ζιδήρῳ, ἐ μεταβαλικῶς, ἀλλὰ μεταδολικῶς. Eandem similitudinem alii qvoqve inculcant Patres. Origen. lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 6. *Si massa aliqva ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris & venis ignem recipit, totaq; efficitur ignis, ita ut neque cesset ab ea ignis, neque ipse ab ea separetur. Hinc dicimus massam ferri totam ignem esse factam, qvia nihil aliud nisi ignis in ea cernitur. Et si qvis contingere atqve tractare massam ferri voluerit, non ferri sed ignis vim sentiet.* Athanas. dialog. 4. de Trin. *Qvemadmodum cauterium ignem & ferrum*

intelligo:

intelligo: ita etiam Deum verbum hominem factum intelligo. Dial. 5. *Christus abscondita tenebrarum illuminat, unus existens ipse Deus est homo: sicut ignis in materia lucem præbet iis, qui ad lucem accedunt, non separatur à materia unita nec consumpta ipsa materia, sicut nec rubus ille ad Mosen.* Cyrill. in Johann. cap. XV. *Indecens omninò esset, si ignis quidem qualitatem suam conjunctæ sibi materiæ immittere possit, Verbum autem Dei proprium sibi naturaleq; bonum, hoc est, vitam conjunctæ sibi carni non posset infundere.*

§. XII. Objiciunt Adversarii I. *Unitam esse naturam humanam τῷ ὑποστατικῷ λόγῳ, cui per hanc unionem utriusque idiomata naturæ verè competunt, quia eadem Deus & homo est.* At Scriptura & Patres communicationem idiomatum non tantum in persona, verum etiam inter naturas factam esse clamant. Hinc illa effata: Dominus gloriæ crucifixus, caro Filii Dei est vivifica. Nestorianum est, *alias voces homini à verbo seorsim considerato, alias tanquam divinæ majestati convenientes soli verbo accommodare.* Cyrill. resp. ad Theodoret. *Duo forent Filij, si alius sit omniscius & alius dimensam haberet scientiam. Novit divinus λόγος omnia, quum dispensativè mensuram ignorantis humanitatis assumpsit, & ille qui est immutabilis appropriavit sibi humana. Illi verò* (notent hoc adversarii) *qui revelationem datam*

esse

esse dicunt formæ servi ab inhabitante Deo & qvidem mensuratam, faciunt Immanuelem nobis Prophetam & Deiferum hominem & aliud nihil. II. *Communicationem idiomatis humani tantum habere locum in concreto seu persona, non in naturis, ut non possit dici, deitatem esse passam: & communicationem idiomatis divini locum tantummodo habere in persona, non in naturis, ut non possit dici humanitatem esse omnipotentem, unionem qvippe esse æqvalem.* Distincta sunt Deitatem esse passam & humanitatem esse omnipotentem. Deitas est impatibilis, nec potest humanitas, qvem non sit ἀϖϑυπόϛατον, communicare suas proprietates divinitati: Communicatio enim præsupponit suppositum: at divina natura λόγϕ sua idiomata potest communicare carni, ut omnipotentia Filii Dei sine multiplicatione & confusione fiat omnipotentia Filii hominis. Atqve hoc insinuat vox περιχωρήσεως non qvod caro pertranseat totam divinitatem, sed qvod divinitas immeet humanitatem, eiq; communicet idiomata sua. Qvomodo qvod purum spirituale & ἄυλον immeat corporalia, ignis ferrum, anima corpus, splendor aerem, non contra. Unio qvidem æqvalis est, unitarum naturarum non est conditio æqvalis. Divina natura non potest minui aut major fieri: humana potest. Memorabiles sunt sententiæ antiqvitatis. Athanas. Orat. 2. & 4.

& 4. contr. Arian. *Scriptura non intelligit substantiam verbi exaltatam, sed ad humanitatem ejus hoc spectat, & propter carnem exaltari dicitur. Cum enim IPSIUS sit corpus, merito ipse ut homo ratione corporis humani exaltari & accipere memoratur: eo quod corpus ILLA recipiat, quæ λόγος semper possidebat secundùm suam ex Patre deitatem & perfectionem.* Leo M. Epist. 22. ad Flavian. *Dicant adversarij veritatis, quomodo Omnipotens Pater vel secundùm quam naturam Filium super omnia evexerit, vel cui substantiæ cuncta subjecerit? Deitati enim ut Creatori semper subjecta fuerunt: huic si addita potestas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente, nec habebat divitias ejus naturæ, cujus indiguit largitate. Sed talia sentientem in societatem suam Arius rapit, cujus perversitati multum hæc suffragatur impietas.* III. *Communicationem idiomatum merè verbalem esse ratione naturæ, de quo proprium alterius enunciatur, non autem ratione ejus personæ & suppositi Christi, cui re ipsa competit, seu, quod idem est, respectu naturarum oppositarum communicationem non esse realem; respectu naturarum compositarum omninò realem esse.* Sed quomodo hæc conveniunt cum sententia Scripturæ & vetustatis? Scriptura sic factam esse unionem docet, ut in humanitate habitet tota plenitudo Deitatis. Patres exemplo ferri igniti rem declarant. Quæ profecto non verbalem sed realem communi-

cationem factam esse evincunt. Nestorianum est dicere, Deum esse passum verbaliter, hominem realiter, Deum potestatem divinam habere realiter, hominem ad eandem exaltatum verbaliter & ὁμωνύμως: Deum esse Omnipotentem realiter, hominem per tropum, Deum passum per tropum, hominem realiter. IV. *Abstractum significat naturam, concretum personam. Cum igitur de humanitate dicitur divinum idioma, ut quod sit vivifica & omnipotens, & si abstractum nominatur, intelligitur tamen loco subjecti persona, ut sensus sit: Christus, qui carnem habet, est vivificus & Omnipotens.* Hæc expositio plane Nestoriana est. Subjectum propositionis non est persona Christi, sed natura Christi humana. Quæ quidem abstracta est, quatenus natura consideratur in se & proprietatibus naturalibus, interim non est merè abstracta, quatenus consideratur in unione: sic enim æquipollet concreto. Neque tamen totam personam significat, sed naturam humanam, quæ est unita λόγῳ. Neque sequitur, si natura humana in concreto consideratur, intelligi personam. Nisi addatur, intelligi personam non in utraque, sed in alterutra nempe humana natura spectatam. Vera ergò resolutio hæc est: Christus secundùm humanam naturam, sive Filius Mariæ est vivificus & Omnipotens, idq; non verbaliter & titulotenus,

nus, sed in re & veritate, qvatenus propriam verbo glorificationem & αὐχήματα in tempore accepit. V. *Qvam idiomata divina sint ipsa Dei essentia, qvomodo humanæ naturæ tanqvam creaturæ communicari potuerunt?* Invertimus argumentum: Si ipsa essentia Dei communicata est, seqvitur idiomata qvoqve communicata esse. At communicatam esse ipsam λόγου essentiam Paulus testis idoneus est & omni exceptione major, cum in humanitate corporaliter habitare docet totam Deitatis plenitudinem. Dices: *Idiomata divinæ nec actu primo nec actu secundo communicari. Actu primo esse ipsam Dei essentiam: actum secundum in divinis idiomatibus intrinsecè non differre à primo, aut, si differunt & sunt idiomatum divinorum effectæ, non posse includi, humanam naturam esse Omnipotentem.* Idiomata communicata sunt actu primo, qvomodo ipsa qvoqve essentia communicata est, ut dictum. Qvanqvam actus secundus à primo non differat in actionibus Dei immanentibus, differt tamen in actionibus transeuntibus. Qvæ ipsæ non sunt in Deo, nec effectus sunt accuratè loqvendo, sed à Deo Proveniunt & terminantur in creatura. Unde conseqvitur. Si actio Deo propria communicata est humanitati Christi, ipsa qvoqve idiomata actu primo communicata fuisse. Actus qvippe secundus supponit primum. VI.

Si communicata essent idiomata, non unum sed omnia communicata fuissent, & natura humana dicenda esset æterna, infinita, spiritualis. Communicatio idiomatum facta est propter officium mediatorium rectè expediendum, ut humanitas Christi obeundis officii partibus sufficiens & par esset. Nam propter tertium genus idiomatum duo priora constituuntur. Damasc. lib. IV. de O. F. cap. 19. Cum ergò æternitas, infinitas, spiritualitas sint idiomata actum secundum excludentia & ἀνενέργητα nihil attinebat illa cum humanitate communicare, ut inde ea denominaretur. Sufficit ea immediatè communicata esse, qvæ ad finem incarnationis faciunt. Dico immediatè: nam mediante essentia Dei omninò etiam communicata sunt æternitas, simplicitas, infinitas, simplex, æternus: *In homine habitat plenitudo deitatis infinitæ corporaliter.* Neqve hæc absurda putabit, qvisqvis cogitaverit in homine animam certas proprietates sed ἐνεργητικὰς, qvæ ad operationem tendunt, corpori communicasse, v. g. potentiam videndi, audiendi &c. non autem spiritualitatem & immortalitatem. Eadem ratio est ignis, cum ferro communicantis calorem, non autem levitatem Sicut ergò concludere non possum, si corpus potest videre, audire, est etiam simplex & immortalis: ita nec concludere

dere possum, si caro Christi vivificat, est qvoqve æterna & infinita. Justa seqvela esset, si caro Christi per se & sua natura vivifica esset. Hoc si foret, infinita esset. Omne qvippe vivificum, sua natura, infinitum est. At vivifica est non per naturam, sed per unionis gratiam. Dices: *Si communicata est carni Omnipotentia, qvomodo potuit mori?* Distingvenda est κτήσις à χρήσει. Gloriam Omnipotentiæ Christus homo ab ipso incarnationis momento possedit, sed detinuit eam in statu exinanitionis per voluntarium obicem, si usurpationem spectemus universalem, (particularem enim usurpationem miracula in statu exinanitionis patrata evidenter demonstrant, secundùm illa *vidimus gloriam ejus:* & *manifestavit gloriam suam* Joh. I. II.) cœterum plenè in statu exaltationis exerit. Neqve dicendum, *divinæ naturæ potentiam sic potuisse omnia posse & ex potentia in actum fuisse deductam, qvod involvat mutationem.* Nihil hic mutationis: sicut in Deo nulla facta est mutatio, qvando intercedente voluntate ejus potentia deducta est in actum. Omnis mutatio est in effecto, immutabili manente Deo. Et qvid hoc est dicere, Deum potuisse omnia posse? Omnipotentia est talis potentia, qva omnia potest facere Deus, qvæ vult. Reqviritur Dei voluntas, non ut aliqvid possit, sed ut aliqvid fiat. Actus secundus po-

tentiæ infinitæ non est posse, sed facere & operari. Nec sunt Omnipotentiæ duæ, altera divinitatis, altera humanitatis. Una est utriusqve divinitatis πῶ ἔναι humanitatis πῶ ἔχειν. Chemnit. de duab. nat. cap. XXIII. VII. *Si natum qvæ Deus non est, est Omnipotens, non potest ullum argumentum ex Dei attributis pro Deitate Christi asserenda contra Socinianos depromi.* Imò potest. Christus est summus Deus & verus homo, qvia habet naturam πῶ ἔναι, & formaliter Omnipotentem, hoc est, divinam; & πῶ ἔχειν per gratiam unionis omnipotentem, sive humanam divinitati personaliter unitam. Qvid autem Calviniani, asserentes, Filium Mariæ esse Deum & Omnipotentem per tropum & verbaliter responsuri sint Socinianis concludentibus, Filium Mariæ non esse verum Deum nec Omnipotentem, qvia non sit verè sed per tropum Deus & Omnipotens, ipsi viderint. Nos evidentissimè λόγον esse æternum Deum inde demonstramus, qvod dederit carni vim vivificandi. Nisi enim summus Deus esset, carni utiqve dare non potuisset, qvod non haberet. Non ergò labefactatur Christi Deitas per doctrinam de reali idiomatum communicatione, sed præsupponitur.

§. XIII. Sed rem communicatorum idiomatum distinctè expendamus & veniamus ad ipsa

ipsa communicationis genera, qvæ tria numeramus Scripturam seqventes & Antiqvitatem. Damasc. lib. IV. cap. 19. totidem constituit. *Primum*, inqvit, *est ἐκ τοῦ κρείττονος sive ex meliori, cum nempe caro dicitur deificata & superexaltata, & qvod duæ naturæ secundùm hypostasin sint unitæ & τὸν εἰς ἀλλήλας περιχώρησιν habeant in confusam & immutabilem non qvasi caro permeet divinitatem, sed qvod divina natura semel immeans per carnem, dedit carni τὸν πρὸς αὐτὸν ἄῤῥηκτον περιχώρησιν, ἣν ἕνωσιν λέγομεν, ineffabilem immeantiam & immansionem, qvam unionem dicimus. Alterum est ἐκ τοῦ ἐλάττονος sive ex deteriori, cum Deo tribuitur incarnatio, exinanitio, pauperies. Tertium est ἐξ ἀμφοῖν ἅμα ex utrôq; simul cum operatur Christus in utrqve natura junctim & unita cum alterius communicatione. Propter hunc tertium modum prædicti duo modi dicuntur.* Hæc Damasc. qvem vide lib. III. cap. XV. Nos eadem communicationis genera agnoscimus & tradimus, ordine tamen paulum mutato. Qvod enim secundum est Damasceno genus, id nobis est primum. Rursus, qvod primum est, id nonnulli tertium volunt. Qvomodo Formula Concordiæ numerat, qvia propositum ei erat, communicationem Majestatis fusius & accuratius explicare, utpote maximè controver-

sam. Sed maneat id qvod tertio loco posuit Damascenus, in loco sibi assignato. Bene Hutterus in Form. Concord. pag. 775. *Hactenus quidem in Scholis Theologorum maximam partem obtinuit hæc series, ut nimirum ἰδιωματίκα appropriatio ad primum: κοινωνητικὰ sive communicatio officij ad secundum: μεταμτικὰ denique sive ὑπερύψωσις τῆς σαρκὸς exaltatio carnis ad tertium genus referretur. Qvam eandem seriem liber etiam Concordiæ per omnia tenet. Sed reperiuntur nonnulli orthodoxi Theologi, qvi à recepto isto ordine nonnihil hodiè recedentes, tertium genus secundo, & secundum tertio loco numerant, & qvidem, si vera fateri liceat, accuratiore methodo. Nam negari non potest, communicationem officij necessario tanqvam causam priorem suo effectu præsupponere communicationem Majestatis factum assumptæ humanitati, ac proinde hanc qvoqve tanqvam causam esse. Nunqvam enim humana Christi natura ad perficienda divina illa redemptionis ἀποτελέσματα ἐνεργητικῶς concurrere potuisset, nisi actu ipso jam habuisset communicatam Majestatem divinam.* Hæc ille. Qvod ergò primum attinet, sufficere putavit Damascenus, si primariam ejus speciem attigisset, qva de Deo prædicantur humilia illa, pati mori. Nam alias plures species hoc genus complectitur, easqj distinctissimas. Aut enim idioma divinum prædicatur de persona ab utraqve natura denominata,

nata, aut prædicatur de eadem idioma humanum, v. g. Christus est æternus, Christus est natus ex Maria. Rursus, idioma divinum aut prædicatur de Christo Deo aut de Christo homine, v. g. qvæ Pater facit, facit similiter Filius, Filius hominis ascendet, ubi erat prius. Tandem idioma humanum, aut de Christo Deo aut de Christo homine prædicatur. v. g. Dominus gloriæ mortuus, Filius Mariæ crucifixus est. Qvæ varietas prædicationum B. Gerhardum movit, ut existimaret Exeges. p. 1325. IV. genera communicationis constitui posse: Aliam enim esse propositionem, Christus est passus, aliam, Deus est passus: Illam à Nestorio concedi, hanc negari. Interim nos cum Gerhardo retinemus veritatem distingvendi communicationem idiomatum rationem. Qvam cum dicimus, accipimus vocem hanc non transitivè sed intransitivè, ut sit inconsortium societatem & communem possessionem recipere. Qvod & supra monitum est. Idiomata cum dicimus omnes affectiones complectimur, sive vel essentiales sive accidentales, sive sint proprietates, sive operationes & ἀποτελέσματα. Fundamentum primi generis est unitas Personæ, qvæ in duabus naturis unitis, qvarum utraqve suis proprietatibus vestita est subsistit. Appellatur Damasceno ἀντίδοσις sive *mutua attributio*, item οἰκείωσις

appropriatio, Cyrillo ἰδιοποίησις καὶ ἰδιοποίησις *communius naturæ proprium tota sibi persona vendicat ac proprium facit*, Nazianzeno, συμπλοκὴ ὀνομάτων *conjunctio nominum*, & Theodoreto, ἐναλλαγὴ καὶ κοινωνία ὀνομάτων, *alternatio & communicatio nominum*, cui tamen rei veritas subest. Qvia enim in ipso Christo propria naturarum facta sunt Personæ communia sine sui multiplicatione aut confusione, inde factum, ut utriusqve naturæ propria de persona prædicentur. Subjectum ergò prædicationum est nomen non naturæ extra unionem spectatæ, sed personæ ab utraqve natura vel alterutra denominatæ, ut, Christus, Deus, homo. Proinde non intelligitur Deus ἄσαρκος sed ἔνσαρκος & nomine hominis non intelligitur nudus homo, sed homo qvi in personæ unitate est verus Deus. Æqvè hic de Christo Deo prædicantur humana, ac de Christo homine divina. Est enim in hoc primo genere reciprocatio, salva tamen λόγου assumentis humanitatem & sibi humana pro placito appropriantis prærogativa. Sed & hic distinctio est & manet proprietatum. Qvanqvam enim de Persona Christi prædicentur utriusqve naturæ propria non tamen fiunt utriusq; propria, sed manent propria ejus naturæ, cujus sunt propria. Hinc particulæ distinctivæ ostendentes

dentes secundùm qvam naturam prædicatum conveniat subjecto v. g. Filius Dei est genitus ex semine David, sed secundùm carnem. Qvæ ipsæ particulæ distinctivæ in primo genere non ad subjectum, sed ad prædicatum referendæ, ut & Nestoriana separatio & Eutychiana confusio devitetur. Cum dico Filius Dei mortuus secundùm naturam humanam, τὸ secundùm distingvit, non separat. Neqve enim sensus est, solam naturam humanam esse mortuam. Sed de hoc postea. Qvædam enim hic ad meliorem intellectum prænotanda. Primum est: *Idiomata totius non communicari partibus, sed toti supposito*, secundùm regulam Bonaventuræ qvam commendat B. Chemnitius lib de duab. Nat. in Christo cap. XIV. Sic idioma divinum unitum esse animæ Christi, non convenit corpori in triduo mortis, qvippe qvod tunc non unitum sed separatum erat ab anima. Et idioma humanum effundi, qvod prædicatur de sangvine, non potest prædicari de Deo, qvippe qvi non est effusus. Dicunt Leidens. in Synops. pur. Theol. disp. XXV. thes. 35. *De persona ab alterutra natura appellata prædicari humana omnia; vel ab humana divina omnia.* Verum enim verò salubre monitum est Philippi in L. C. *dignam esse diligentiam pii, loqvi cum Ecclesia: non enim sine eruditis causis Ecclesia vetus alios modos comprobavit, alios rejecit.*

Inter

Inter rejiculas propoſitiones ſunt iſtæ: *Chriſtus eſt creatura, Chriſtus cœpit eſſe, Chriſtus factus eſt, Chriſtus in aſſumpta habitat humanitate, Chriſtus ſubſiſtit in perſona Filij Dei, item, Filius Mariæ non eſt alterius à Patre & Filio eſſentiæ, Filius Mariæ non habet carnem & ſanguinem, Filius Mariæ ſubſiſtit in perſona propria, item, Filius Dei eſt creatura, Filius Dei ab æterno non eſt, Filius Dei eſt natura corporeus* & ſimiles. Qvanqvam enim explicari per primum genus communicationis idiomatum poſſint, *prudenter* tamen *veteres vitarunt ambiguitatem, vitarunt inſidias*, ut loqvitur cit. loc. Philippus, & ab his loqvendi modis abſtinuerunt, ne ſimpliciores vel offenderentur vel ſeducerentur, & illa occaſione hæretici falſas opiniones ſpargere poſſent, ſic dubitatum olim eſt, ut Maria dici debeat Χριστόκος, qva tamen voce uſus eſt Cyrillus Epiſt. 1. Damaſc. lib. III. cap. 12. negat eo *qvod ad tollendum Deiparæ vocabulum exſecrandus Neſtorius hoc nomen excogitavit.* Evagr. lib. I. cap. 2. Theoriani in dialogo cum Armenis (extat Tom. IV. Bibl. Patr. Edit. ſecund.) eadem eſt ſententia: *Non ignorat*, inqvit, *ſanctitas tua vocem aliqvando non malam, qvæ malè tamen ab aliqvibus intelligeretur & explicaretur, rejectione dignam à Patribus eſſe judicatum, qvalis & Chriſtipara vox eſt Deiparæ virgini tributa. Nam & Chriſtiparam dicere poteramus: Chriſtum enim peperit Deum*

Deum & hominem: qvod ipsum nomen propriè denotat. Sed qvod ejus nominis significatum à Nestorio neqviter acciperetur, velut sacrilegum à sanctis hominibus repudiatum est. Signatè Bonaventura lib. III. Sentent. distinct. IV qvæst. 3. *Verba fidem Christianam exprimentia debent esse ab errore longinqva & devotioni approximantia. Qvia autem nomen Christi magis communicatur creaturis, qvam nomen Dei: unde & David dicitur Christus Domini & alij Reges Israel: ideò verbum illud magis erat propinqvum errori. Nunc autem, qvia error ille extirpatus est: communiter eam vocamus & matrem Christi & matrem Dei.* Idem dicendum de *Christo secundùm humanam naturam servo* in statu nempe exinanitionis, qvam Phrasin propter Nestorianos non admittit Synodus Francofurt. cujus verba §. 16. allegabuntur. Eadem qvoqve ratio est harum propositionum: *Filius Mariæ est Filius creatus, Filius è membris distinctis formatus, Filius mortalis: hæc enim non adscribuntur Christo, qvatenus est Persona humana à Maria nata, sive Filius Mariæ contradistinctus Filio Dei, sed qvatenus est verus homo, & qvatenus hæc omnia sunt idiomata naturæ humanæ enunciandæ de tota persona secundùm humanitatem*, qvæ sunt verba Micræl. Decad. III. Disp. II. Th. 36. Atqve hoc secundum est. Tertiò, istæ prædicationes, *Christus est exaltatus, Filius Mariæ est Omnipotens* possunt ad primum

primum & ad ſecundum genus referri, ſed diverſa ratione. Diſtingvendum eſt inter exaltationem humanæ naturæ & divinæ ἀυχήματα in exaltatione ei collata. Qvando exaltatio ejus oppoſita exinanitioni de Chriſto prædicatur, primi generis eſt prædicatio: qvando verò gloria infinita, qvæ veluti materia eſt exaltationis de Chriſto ſecundùm naturam humanam prædicatur, ſecundi generis prædicatio eſt. Et cum dico, Filius Mariæ eſt Omnipotens hoc ſenſu, eſt Omnipotens qvâ divinitatem, eſt prædicatio primi generis: ſed iſto ſenſu, eſt omnipotens omnipotentia ipſi propter unionem perſonalem communicata, ſecundi generis naſcitur prædicatio. Deniqve, notandum eſt illud B. Mentzeri in Anti-Martin. pag. 191. *Hæc propoſitio, Filius Mariæ eſt mortuus, pertinet etiam ad hunc gradum communicationis, contra qvam Beza & alij ſcripſere. Qvanqvam enim conſeqvens ſive prædicatum illius propoſitionis proprium eſt ejus naturæ, nempe humanæ, à qva antecedens ſive ſubjectum denominatur, tamen illud (mori) non prædicatur de ſola humana natura ſeorſim ſubſiſtente, ſed de perſona ipſa. Neqve idem eſt, niſi accedat explicatio, Filius Mariæ moritur & humana natura moritur.* Nempe ſolent Calviniani heterodoxiam ſuam ſub limitatione qvadam occultare, dum dicunt, proprietates utriusqve naturæ de tota perſona in concreto

crero verè & realiter prædicari, si tamen illud intelligatur secundùm eam naturam cui istæ proproprietates propriæ sunt.

§. XIV. Sed hoc amplius perpendamus; est enim hactenus controversum, an Filius Dei verè, realiter, propriè sive sine tropo passus & mortuus sit. Negant Adversarii & dicunt propriè tantum naturam humanam divinæ unitam eamq; solam passam esse. Admonitio Neostad. sic censet pag. 150. *Divina dicuntur de Christo secundùm Deitatem, humana secundùm humanitatem. Ergò Deus passus & mortuus est realiter quatenus homo, sed nominetenus quatenus Deus est.* Communiter Calviniani propositionem hanc, Deus est passus, explicant per ἀλλοίωσιν Zwinglii ita ut una natura nominetur, sed altera intelligatur, hoc sensu: Humana natura Deo unita est passa, per Synecdochen partis pro parte. Tales ἀλλοιώσεις repudiamus, ex qvibus seqvitur, solam humanitatem esse passam. Alias terminum κατ' ἄλλο in hac materia non defugimus, prout videre est apud celebratissimum Chemnitium de duab. nat. in Christo pag. 71. ubi dicit, *aliter τὸ κατ' ἄλλο capi in primo genere communicationis idiomatum, aliter in secundo genere: in primo genere esse particulam distinctivam (non autem separativam) v. g. Deus est passus κατ' ἄλλο non qvidem secundum*

Deita-

Deitatem, sed secundùm humanitatem; in secundo autem genere κατ' ἄλλο *significare causam v.g. caro Christi est vivifica, videlicet propter unionem non per se* &c. Nempe per se & naturaliter humana de homine dicuntur, sed personaliter ob unionem personalem de natura divina, & vice versa. Qvam variationem prædicationum Schegkius in resp. ad libell. anonymi p. 22. vocat *ἀλλοίωσιν λογικὴν prædicationem, qva idem aliqvid uni per se inest altert per accidens.* Verum hæc logica allœosis non est figura Grammatica vel Rhetorica, sed servat proprietatem sermoni & distingvit tantum modum prædicandi ratione totius & partis, subjecti *qvod* & subjecti *qvo.* Qvomodo & *ἀλλοίωσιν* usurpat Damasc. lib. III. cap. IV. Qvæ notanda contra adversarios ad Lutheri authoritatem provocantes, qvi & ipse statuit *ἀλλοίωσιν.* Sed Lutheri allœosis respicit prædicatum, ut modò dictum, & id vult, de Christo utrumqve dici & qvod sit Deus & qvod sit homo. At Zwinglii *ἀλλοίωσις* respicit subjectum & vult, nihil aliud de Deo nisi divinum qvodq; ad essentiam Dei pertineat, esse enunciandum. Lutheri allœosis nihil est aliud qvam *ἀντίδοσις* & reciprocatio, ubi de uno subjecto sive concreto naturæ in unione spectato rectè utrumqve prædicatur: Zwinglii allœosis metonymia

nymia est & alienatio, ubi aliud dicitur, aliud intelligitur. vid. Tom. Jenens. VII. fol 85. ubi habes *de unaqvaqve natura* (NB) *& divina & humana dici.* Recte B. Lutherus Tom. II. Witeberg. fol. 188. *Cave tibi ab ista ἀλλοιώσει: est enim larva quædam Diaboli, quæ tandem talem Christum fingit, secundùm cujus rationes ego certè nolim esse Christianus. Hoc enim illa vult quod Christus nihil amplius sit, aut efficiat sua passione & morte, qvàm alius qvispiam sanctus. Si enim persvaderi mihi patiar, ut credam, solam naturam humanam pro me passam esse, profectò Christus non magni pretij Salvator erit, sed ipse tandem Salvatore eget.* Et Tom. VII. fol. 530. *Sciendum id nobis Christianis est, nisi Deus in altera lance sit & pondere vincat, nos lance nostra deorsum (ad interitum) ferri. Hoc sic accipi volo: nisi hæc vera sint: Deus mortuus est pro nobis & si solus homo pro nobis mortuus est, actum fuerit de nobis. At verò si Dei mors & qvod Deus ipse mortuus est, in altera lance ponitur: sanè ille deorsum fertur, nos verò instar vacuæ & levioris lancis sursum tendimis. Non autem poterat in lance descendere & considere, nisi nostri similis, hoc est, homo fieret, ut verè & rectè de ipsius passione dici posset: Deus mortuus, Dei passio, Dei sangvis, Dei mors. Non enim in natura sua Deus mori potest. Postqvam autem Deus & homo unitus est in una persona, rectè & verè dicitur: Deus mortuus est, qvando videlicet ille*

homo moritur, qui cum Deo unum quiddam sive persona est. Hæc Lutherus optimè: qui invictum Syllogismum Adversariis opponit, hunc nempe: *Hæc persona* (monstrato Christo) *patitur, moritur, Hæc persona est verus Deus, Ergò verus Deus moritur.* Quia nec de Synecdoche ullam ipsis litem moveremus, si intelligerent Synecdochen non eam, quæ totum excludit, sed eam quæ totum limitat. Quam admisit Lutherus in illa propositione: Christus mortuus est secundùm carnem. Sed hic nulla mutatio significationis nativæ, sed limitatio quædam totius. Est enim in omnibus lingvis usu receptum, ut attribuantur actiones & passiones toti supposito non tantùm ut causæ agenti verum etiam ut termino recipienti. Vide Svaretz Disp. XXXIV. Metaph. Sect. 7. n. 12. Quanquam potentia agendi vel patiendi alteri suppositi parti tanquam principio Quo competat. Quomodo homo propriè dicitur vulneratus, decollatus, quantus, etsi hæc omnia corpori competant, ut subjecto Quo: propriè dicitur mortalis, etsi anima sit immortalis. Hic nulla est Synecdoche Rhetorica: hæc enim partis pro parte non est, sed partis pro toto, aut totius pro parte. Fundamentum nostræ Orthodoxiæ in clarissimis Scripturæ locis est, qvibus summo consensu asseritur, *Dominum gloriæ crucifixum.* I. Cor. II 8. *Ducem*

vitæ

vitæ occisum. Act. III. 15. *Deum habere proprium sanguinem.* Act. XX. 28. Qvæ ipsa ex dictis de communicatione subsistentiæ & naturarum ἀφελῶς lucem capiunt. Qvia enim humana natura subsistit in hypostasi & persona λόγου, ita ut λόγος consistat duab⁹ naturis invicem communicantibus, sicut homo constat anima & corpore, utiqve λόγος propriè passus & mortuus est, non per tropum. Non ergò licet pro Deo ponere in subjecto naturam humanam: hinc enim emergeret coccysmus ille: humana natura passa est secundùm humanam naturam. Ipse Deus passus est, non secundùm proprietatem divinæ naturæ, sed propter unionem personalem & communionem naturæ, in qva passio & ignominia hominis verè & propriè ad λόγον pertinet, etsi natura sua impassibilem. Sicut enim verè & propriè natus est ex Maria virgine, non impropriè, qvod Nestorius defendebat: ita propriè ipse Dominus gloriæ passus est. Rectè Vincentius Lirinensis cap. XXI. *Virgo verissimè* Θεοτόκος *confitenda, sed non eo modo, qvo impia qvædam hæresis suspicatur, qvæ asserit, eam Dei matrem sola appellatione dicendam, qvæ eum scilicet peperit hominem, qvi postea factus est, sicut dicimus, Presbyteri aut Episcopi matrem non jam Presbyterum aut Episcopum pariendo sed eum generando ho-*

 minem,

minem, qui postea Presbyter aut Episcopus factus est. Non ita, inquam, S. Maria Θεοτόκος, sed ideò potius, quia jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam Personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est. Quod si Maria non sola appellatione sed verè & realiter peperit Deum, utique verè & realiter Deus natus est ex Virgine sine tropo aut improprietate. Porrò, sicut verè, realiter & propriè natus est ex Maria virgine, sic verè & propriè passus est Filius Dei, nempe, in assumpta humanitate, ut dictum. *Qui soli servi formæ adaptat voces, Deus meus, quare me dereliquisti, is personam solvit*, Cyrillo judice in defens. anathemat. 4. Nempe, si in persona Christi alius propriè patitur, alius impropriè, solvitur unitas Personæ & statuitur suppositum vere & realiter patiens, nempè caro Deo unita, & rursus suppositum impropriè & synecdochicè patiens, nempe Filius Dei. Frustra ergò Adversarii dicunt, Deum in carne personaliter sibi unita passum esse, quantisper sine veri nominis appropriatione & mutua naturarum communione id factum esse clamant, tantùm verbaliter & impropriè. Quæ profectò ita sunt comparata, ut fenestram aperiant hæreticis Christi satisfactionem impugnantibus, ut ex Luthero paulò antè

ostend-

ostensum. Dices: *Exinanitionem τῷ λόγῳ non competere ex sententia Lutheranorum, qui negant λόγον exinanitum & exaltatum esse, ergò nec passionem, quippe exinanitionis est præcipuum punctum.* Resp. Putant Adversarii, locum Pauli Phil. II. accipi posse de Christo secundùm divinam naturam spectato, qvod verissimum sit λόγον admirando modo se humiliasse, cum nostri causa homo fieri dignatus est. Verum de hoc nullum est dubium. Id qværitur an præsens Pauli testimonium directè agat de humiliatione hujusmodi, qvæ λόγῳ, ut λόγῳ est, attribui possit. Nulla ratione id permittit textus. Agitur enim non de humiliatione activè, sed passivè sumpta, non de λόγῳ incarnando sed incarnato, de forma servi, de exinanitione reali gloriæ & majestatis communicatæ, de morte, qvæ velut limes & terminus obedientiæ erat, deq; exaltatione à singulari Dei gratia (ἐχαρίσατο) profecta, depositam conditionem humilem sive formam servi secuta. At repugnat divinitati à gratia pendere, repugnat exaltari. Repugnat pati, inqvies. Rectè: Secundùm naturam divinam pati repugnat, qvomodo secundùm animam extendi hominem repugnat: At hoc non obstat, qvo minus homo propriè dicatur qvantus, extensus, habens partem extra partem,

Qvanqvam hæc omnia animæ ut Spiritui repugnent. Non enim repugnant toti. Pari ratione, etsi exinanitio repugnet Deitati, non tamen repugnat Deo. Dices amplius: *Ettam admonitionem Neostadianam pag. 57. fateri Deum esse passum, qvatenus Deus 1. vult obedientiam carnis. 2. Occultat suam gloriam. 3. non repellit à natura humana mortem & ignominiam. 4. sustentat in cruciatu naturam humanam. 5. vult Pater æternus, ut nos recipiat in gratiam propter hanc victimam & 6 addit dignitatem huic victimæ* &c. Respondeo nondum hæc sufficere: addendum enim, Deum esse passum per ἰδιωμάτων, non illam tantum, qvæ Damasceno lib. III. cap. XXV. dicitur χενωτική, qvomodo Filius Dei sibi appropriavit passiones membrorum. Act. IX. 5. David contumeliam legatis factam: verum imprimis eam, qvæ Damasceno dicitur ὑποστατική, qva Filius Dei patitur in proprio corpore, & proprium sangvinem effundit, redundatq; tota passio in Dominum gloriæ. Hinc veterum illæ phrases: Vita in ligno moritur, Deitas clavis confixa: qvibus nihil aliud indicare voluerunt, qvam τὸν θεότητος οἰκειωσάμενον τὸ ἴδιον ἀνθρωπότητος πάθος, ut loqvitur Theodoret. qvæst. in Exod. XIX. Neqve enim sufficit hic non excludi personam, sed divinitatem. Qvomodo Adversarii

Deum

Deum esse passum fatentur, & concretum personæ intelligunt, non naturæ. Scriptura enim utrumqve docet, & Christum esse passum & Dominum gloriæ crucifixum, ut modo dictum. Neqve enim duo sunt in Christo, qvorum alter patitur, alter non. Ipse Filius Dei natura impassibilis per unionem personalem tam verè & propriè passus est in assumpta carne, qvàm verè & propriè homo patitur in carne sua. Deniqve dices: non differre concretum naturæ & personæ. Resp. si nulla ratione differunt, nec realiter nec formaliter, propositio hæc Deus est homo, resolvenda esset in istam tavtologicam: Christus est Christus, θεάνθρωπος est θεάνθρωπος. Scriptura distingvit, dum docet Deum esse cum Jesu Act. X. 32. Deum esse in Christo II. Cor. V. 19. Secundus fidei articulus distingvit, qvando filium Dei natum ex Maria virgine, passum, mortuum inculcat. Dicere id impropriè & tropicè factum, est totam fidei orthodoxiam enervare, & Nestorianismum reducere. Nestorii qvippe vox erat: *Noli gloriare Judæe, qvia non Deum, sed hominem crucifixisti.*

§. XV. Hæc de primo genere sufficiant. Ad secundum genus communicationis idiomatum pergimus, idemq; maximè controversum. Qværitur, an homini Christo verè & realiter gloria & plenitudo majestatis divinæ sit communi-

cata. Id nos constanter affirmamus. Calviniani iterum hic fingunt ἀλλοιώσεις & phrasin illam, Christus homo est omnipotens explicant hoc sensu: divinitas humanitati conjuncta est omnipotens ut una natura nominetur, altera intelligatur. In Colloq. Mompelg pag. 265. fatetur *Beza, summa dona Deitatis, quæ in creaturam cadere possunt, & quorum capax est natura humana, in humanitatem Christi collata esse. Sed hæc dona*, inqvit, *non sunt proprietates Deitatis, quæ incommunicabiles sunt: sed habitualia dona creata, quæ natura humana in se habet, quibus omnes naturas superat:* Et Admonit. Neostad. pag. 252. *Sicut*, ait, *non sequitur, ex unione Deitati communicari realiter humanas: sic etiam non sequitur ex ea, humanitati realiter communicari divinus proprietates essentiales.* Et pag. 37. *Naturis singulis in persona Christi realiter communicari proprietates essentiales alterius naturæ negamus & pernegamus cum Scriptura & Orthodoxa Ecclesia.* Adde pag. 25. seq. 397. seqq. Idem Neostadiani explicantes locum Coloss. II. 9. In ipso habitat &c. dicunt *plenitudinem Deitatis esse ipsam hominis substantiam* pag. 257. Qvæ locutio si accipiatur, ut sonat ipsum Eutychianismum sapit. Orthod. Consens. pag. 125. *Cum proprietates in hac earum κοινωνία & communicatione in naturis separari, planè non possint, nulla autem naturarum sit communi-*

catio

nicatio, sit utriusque tamen in una hypostasi κοινωνία & conjunctio, neque etiam ulla proprietatum in naturis communicatio esse potest. Et pag. 121. Quæ in concreto de persona ut homine dicuntur, non statim quoque de natura & humanitate in abstracto prædicantur: eo quod humanitatis natura non sit illud quo vel cujus, ut ita dicam, habitione sit Deus omnipotens, & adorandus. Et pag. 125. Eum, qui asserat, humanam Christi naturam esse vivificam invehere ait Theologiam omnibus verè Christianis & Orthodoxis exsecrandam. Admonit. Neostad. censet pag. 324. Humanam naturam omnipotentem, omnisciam, immensam facere, nihil esse aliud, nisi eam deificare, cum idem sit, omnipotentem esse & Deum esse. Non ergò jam Filius Dei est caro nostra & os nostrum; sed vel aliam naturam assumpsit, vel assumptam nostram in alienam transformavit. Nos Deum propriam actionis gloriam, ut vivificationem & omnipotentiam propriæ carni largitum esse, & bona divinæ naturæ cum corpore assumpto communicasse, illudq; in gloriam suam & fastigium excellentiæ evexisse, carniq; attribuisse claritudinem gloriæ & majestatis infinitæ primum in genere, deinde in specie probaturi, prænotanda qvædam duximus. Fundamentum hujus communicationis unio personalis divinæ & humanæ naturæ. Vocatur hoc genus ὑπερύψωσις, ὕψωσις, δόξα, δόξασις,

εἴσοδος εἰς δόξαν, στεφάνωσις, μεγαλοσύνη ἐν ὑψηλοῖς. Patribus dicitur Θέωσις, ἀποθέωσις, μετάληψις θείας ἀξίας, μετάδοσις καὶ μετοχὴ θείας ἐξουσίας, μεγάλη προσθήκη, βελτίωσις, θεοποίησις, θεολόγωσις, πλήρωσις, δυνάμωσις, μεταποίησις, μετάδοσις θείων αὐχημάτων. Reciprocatio hic non habet locum ut in genere primo: qvia naturæ divinæ nihil ex gratia unionis donari perfectionis potuit. Ubi notandum ex Schröd. Sceptr. Regal. Christi pag. 44. *qvod communicatio operationum sit gemina: una, qvæ consideratur in mutuo concursu diversarum operationum divinæ & humanæ naturæ ad commune* ἀποτέλεσμα: *altera qva operationes divinæ naturæ, vivificam esse, operari miracula, gubernare omnia &c. communicantur cum organo carnis, non autem vicissim operationes humanæ naturæ cum Deitate. Illa est mutua, hæc non. Non enim dicendum: divina natura ambulat, bibit, moritur.* De termini κατ' ἄλλο acceptione in hoc secundo genere dictum § præcedenti.

§. XVI. Cœterum distincte videamus, Qvis, Cui, Qvid, Qvando, Qvomodo dederit. Primum qvod attinet, dedit Trinitas tota: opera enim ad extra sunt indivisa. *Suscepit Filius carnem in proprietate, sed tamen Pater & Spiritus Sanctus non defuerunt Majestate*, ut signanter loqvitur

qvitur Aug. serm. 3. de temp. Est qvippe incarnatio opus ad extra ratione efficientiæ, qvanqvam ratione termini seu ejus ad qvod actio terminatur, opus est solius Filii, qvi solus carnem assumpsit, qvam tota Trinitas produxit & majestate sua implevit. Hæc autem communicatio majestatis facta est in unione, non extra eam: neqve tamen facta est in Persona tanqvam tertio à natura utraqve realiter distincto. Hoc enim absurdè & falsò dici, supra ostensum. Familiare est adversariis communicationem hanc donorum sive glorificationem Christi in tempore factam referre ad utramqve naturam. Qvo tamen ipso nihil ineptius aut falsius dici vel fingi potuit. Qvomodo enim natura, qvæ in Christo invariabilis & immutabilis est, altius evehi potuit? Qvomodo secundùm eam naturam, cujus summa est potestas & infinita majestas, accipere aliqvid ex gratia potuit? Qvomodo secundùm eam naturam potest dici ad dexteram Dei consedisse, qvæ ipsa est dextera Dei? Denique, si secundùm divinam naturam est sublimatus, qvomodo non inde seqvitur Arianismus, sic ut dicendum sit, divinam naturam τὸν λόγον ab æterno non habuisse omnia, infinitam virtutem ac potentiam non possedisse, λόγον non esse genitum ab æterno, non ὁμοούσιον Patri, non verè & essentialiter Deum esse? Rectè

Atha-

Athanasius citante Theodoreto dial. II. *Qvicqvid est datum Christo in tempore, id datum est NON secundùm Deitatem, sed secundùm humanitatem.* Et de hum. nat. susc. *Qvæcunqve Scriptura dicit accepisse Filium, sive qvod glorificatus sit Filius, ratione humanitatis, NON Deitatis loqvitur.* Et Orat. IV. contra Arian. dictum *Matth. XXIIX. Mihi data est omnis potestas* &c. interpretatur de humanitate. *Dicit* (Christus) *se potestatem accepisse ut hominem, QVAM semper habuit ut Deus.* Alia Patrum, Basilii, Ambrosii, Chrysostomi, Theodoreti, Vigilii, Theophylacti, Oecomenii dicta citat Formula Concordiæ pag. 846. Leonis verba supra citata sunt. Nempe concors est Patrum sententia, qvicqvid est datum Christo in tempore, id datum est non secundùm Deitatem, sed secundùm humanitatem. Atqve hoc demonstrant tum illæ Scripturæ locutiones, qvæ vocibus constant abstractivis v. g. Caro Christi est vivifica; Qvanqvam tales locutiones in rigore loqvendo non sint merè abstractivæ, eo qvod caro hic & in similibus prædicationibus universis non spectetur ut caro præcisè & abstractè extra unionem, sed, ut modo dicebatur, in unione, qvatenus est caro Filii Dei omnia vivificare valentis: tum illæ, qvibus manifestè adduntur limitationes subjecti ad humanitatem sive expressè, sive per descriptionem partium,

tium, effectorum, adjunctorum hominis Psal. IIX. 5. 7. Apocal. V. 5. sive per additionem particulæ distinctivæ Joh. V. 27. Atqve hic minimè prætereundus est locus Philipp. II. 9. de qvo supra egimus. Sunt qvi per Christum intelligunt λόγον ἄσαρκον & incarnationem per servilis formæ acceptionem. Qvæ expositio est qvidem analoga fidei & sensui Ecclesiæ, non tamen est analoga textui & scopo Paulino. Tria enim de Christo dicuntur: qvalis esse potuerit, qvalis esse voluerit, qvantum Pater fecerit. Ad primum pertinet, qvod dicitur *fuisse in forma Dei*. Ubi non intelligitur ipsa essentia divina, sed gloria & majestas divina. Qvomodo accipitur forma servi, sic & accipienda forma Dei. At forma non denotat humanam naturam, sed statum & conditionem, qvam Christus in exaltatione deposuit, id qvod ipse Piscator in anal. in h. l non diffitetur. Qvi per formam Dei, ipsam Dei essentiam intelligunt, in qva ὁ λόγος incarnandus fuit, & qva se post humanæ naturæ tanqvam formæ servilis assumptionem abdicavit, necessum est, ut statuant, λόγον ipsa se essentia divina abdicasse & Deum esse desiisse. Ad secundum pertinent ista: *Non duxit rapinam* &c. *sed exinanivit se* &c. Sensus Apostoli hic est: Qvanqvam Christus homo in primo conceptionis momento acceperit glo-

riam

riam & majestatem divinam (ὑπαρχων ἐν μορφῇ θεῦ) & secundùm naturam divinam Patri ὁμοούσιος, à qvo minimè alienum aut raptum, sed proprium, esse ἰσόψυχον æqvalem Deo Patri: tamen se exinanivit voluntaria & spontanea humiliatione, qvatenus non semper in carne & per eam divinam gloriam & majestatem exeruit, sed in abjecta servi forma, conformis aliis hominibus respectu infirmitatum qvæ humano generi in pœnam peccati supervenerunt & omnibus sunt communes, vilisq; conservationis factus est obediens Patri usqve ad mortem crucis. Ubi expendenda verba Synodi Francofurt. qvæ citans Augustini verba ex homil. 39. de temp. *Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit*, hæc subjicit! *Etsi enim Propheta eum Servum nominarit: non tamen ex conditione servitutis, sed ex humiliatis obedientia, qva factus est Patri obediens usqve ad mortem*, Leone M. dicente homil. II. de nat. Christi, *assumpta est de matre Domini natura, non culpa, creata est forma servi sine conditione servili.* Ad tertium pertinet exaltatio, qvæ infert plenarium majestatis & Dominii usum ac solemnem inthronisationem humanitatis. Sicut enim plenaria majestatis usurpatione se evacuavit in statu exinanitionis (non enim fuit mera κεν

plena

plenæ & perfectæ usurpationis, sed κένωσις, qvanqvam fuerit κρύψις respectu ipsius majestatis communicatæ. Coloss. II. 3.) ita in exaltatione evectus est ad formam Dei & plenariam dominii atqve majestatis divinæ usurpationem. Hic est sensus exinanitionis & exaltationis Biblicus. Non enim diffitemur, ecclesiastico sensu exinanitionem & exaltationem in ipsa qvoqve incarnatione apparere, in qvantum λόγος clementissime se inclinavit ad miserendum nostri & ad succurrendum nobis de cœlo descendisse, naturamq; humanam assumpsisse, qvæ qvædam exinanitio dici potest, atqve humanæ naturæ communicasse ὑπόστασιν, qvæ exaltatio dici potest. Interim verissimum est illud Athanasii disp. II. contr. Arian. *Exaltatio non ad substantiam verbi, qvæ fuit & semper est æqvalis Deo, sed ad humanitatem ejus spectat. Jam illud (donavit illi Philipp. II.) non propter ipsum verbum scriptum est. Erat enim etiam, antequam homo fieret, adorandus & ab angelis & ab universa creatura &c. neqve diminutum est verbum carnem assumendo ut gratiam* (NB) *qvoqve desideret accipere: sed potius ἐθεοποίησεν deificavit qvod induerat &c.* Et de suscepta hum. nat. pag. 466. τὸ γὰρ ὑψωθῆναι ἀλλ' ἢ σαρξ ὑψίστη ὑψωθῆναι. Duo adhuc notanda vel repetenda Primum est, terminum

minum abstracti esse ambiguum. Nonnunqvam abstracti nomine intelligitur natura humana, qvatenus ex se & per se sive formaliter consideratur: nonnunqvam intelligitur natura humana non ex se sed secundùm unionis gratiam considerata, qvatenus in λόγῳ subsistit & propter hanc unionem & secutam exaltationem in summum evecta est fastigium. Non priori, sed posteriori modo accipitur vox abstracti in secundo genere communicationis idiomatum. Unde consequitur, qvæcunqve de Christo homine prædicantur in hoc secundo genere, non prædicari ἀσιωδῶς sed ἑνωτικῶς non per se sed propter unionem personalem. Qvod & antea notatum. Alterum est: particulam distinctivam (secundùm) aliter capi in primo aliter in secundo genere communicationis idiomatum. In primo notat proprietatem naturalem & principium Qvo, cum dico, Deus est passus secundùm humanitatem. At in secundo genere designat naturam humanam, ut objectum, hoc sensu: Christus est vivificus secundùm ipsam qvoqve humanitatem, in qvantum humanitas non sua naturali proprietate, sed propter unionem personalem, tanqvam causam communionis & communicationis est vivifica.

§. XVII. Vidimus, Qvis, Cui dederit. Sequitur Qvid dederit. Dedit non tantum finitu

& ha-

& habitualia, sed & infinita & increata dona. Ubi advertendum vel repetendum ex supra dictis, inter proprietates divinas distinctionem qvandam esse. Aliæ nimirum sunt, qvæ communicari & potuerunt & debuerunt, ut humanitas Christi obeundis officii mediatorii partibus sufficiens & par esset: Finis enim unionis est operatio: Aliæ autem tales, qvas communicari immediatè implicat contradictionem, uti sunt independentia, qvæ creaturæ competere; immensitas, qvæ cum finito & circumscripto corpore stare neqvit; æternitas, qvæ tempori; spiritualitas, qvæ corpori repugnat. Qvomodo in homine anima certas proprietates easq; ἐνεργητικὰς seu tales, qvæ ad operationem qvandam tendunt, communicavit corpori, v. g. potentiam videndi, audiendi &c. non autem spiritualitatem & immortalitatem. Et ignis ferro communicat calorem non levitatem. Sic humanitati communicata sunt idiomata, qvorum operatio à liberrima Dei operantis voluntate dependet. Qvalia sunt, omnipotentia, vis vivificandi, omniscientia, qvatenus pro objecto creaturas habet, & libera scientia est, præsupponens voluntatis Dei liberrimam operationem. Cœterum hic distingvenda est κτῆσις possessio à χρήσει usurpatione. Gloriæ infinitæ possessionem Christus homo per unionem per-

sonalem in ipso incarnationis momento accepit, sed detinuit eam in statu exinanitionis per voluntarium obicem, exerit autem plenè & planè in statu exaltationis. Plenè, inqvam: nam usurpatio particularis, qvam in statu exinanitionis admittere non jubet sacra Scriptura. Joh. I. 14. II. 11. &c. ab universali, qvæ tum demum cœpit, qvando Christus ascendit, in cœlum & consedit ad dextram Dei. Alii hic ascensionem ponunt, sed intelligunt ascensionem non abstractè & distinctè, qvomodo describitur Marc. XVI. 19 Act. I. 9. sed concretè & conjunctè, prout ascensio ipsam complectitur exaltationem ad dextram Patris Eph. IV. 10. I. Pet. III. 21. Dices: *Ineptam esse distinctionem κτήσεως & χρήσεως in illis etiam idiomatibus divinis, qvæ externo se opere exerunt: qvia omnipotentia non est potentia vel habitus tantum, sed in perpetuo constituta acta. Non enim in potentia Deus est respectu operum suorum non semper existentium, sed ipsa opera sunt in potentia ad existentiam, tandemq; existunt non per novam aliqvam potentiæ activæ actionem, sed per emanationem temporalem ab actione æterna. Qvicqvid enim Deus facit, id volendo & jubendo facit. Vult autem & jubet in æternitate sua indivisibili, singulis temporum differentiis coexistente.* Resp. Hæc non evertere distinctionem inter χρῆσιν & κτῆσιν. Deus ab æterno omnipotens fuit

κτήσει

κτίσις non χρῆσις, nisi qvis dicere velit, Deum ab æterno creasse. Qvi id dicit, & addit, omnipotentiam in perpetuo esse constitutam actu, nec exsistere creaturas per novam aliqvam actionem, sed per emanationem temporale ab æterna actione, terminis ludit & distincta confundit, nempe decretum voluntatis divinæ æternum & jussionem, qvæ fit in tempore. Nulla ratione dici debet actio æterna, per qvam creaturæ existunt. Si enim actio illa æterna est, utiqve & ipsæ creaturæ dicendæ sunt æternæ. Atqvi non in æternitate, sed in tempore Deus creavit mundum, licet ejus æternitas singulis temporum differentiis coëxistat. Dices amplius: *Si Deus ab æterno fuit omnipotens actu primo, non secundo, sequitur ejus potentiam fuisse deductam in actum, qvod mutationem involvit.* Resp. Negatur ea omnia, qvæ de potentia in actum deducuntur, mutationem involvere. Cum Deus creat mundum, fit ex creatore potentia creator acta, nec mutatur tamen. Qvia actus ille est Dee extrinsecus nec in illo ut subjecto sive potentia passiva recipitur. Alia ratio est actuum rei, qvæ erat in potentia, intrinsecorum ejus tanqvam subjecto inhærentium, conferantur supra dicta. Jam ergò satis constat, qvid & qvando datum sit. Habitavit qvidem ab ipso incarnationis momento tota plenitudo Deitatis

tatis ac proinde etiam omnipotentia in assumpta carne personaliter, qvanqvam λόγος communicatam carni majestatem non semper plena luce exeruerit, sed radios tantum qvosdam in miraculis emiserit. Qvo pacto Nazianzenus in Tract. de fide: *Divinam majestatem* ait *in Christo fuisse instar solis nubibus obducti.* Superest modus. Hunc in præsenti vita plenè non cognoscimus: interim repudiatis communicatione merè verbali τῇ καθ' ἀξίαν σχετικῇ relativa & habitudinali externa: repudiata παραπλησίᾳ secundùm extrinsecam adsistentiam & συνεκδοχικῇ inter partem & totum: repudiata κοινωνίᾳ κατὰ μέθεξιν, cujus conditio est multiplicatio proprii qvalis est inter genus & speciem, speciem & individua, in qvibus multiplicatur proprium speciei, ut & ea, qvæ est operationum ad intra & simplicissimæ emanationis, qvomodo in divinis Persona gignens & spirans essentiam communicat Personæ genitæ & spiratæ: repudiatis item communicatione συγχυτικῇ, qvalis est inter partes miscibiles & totum mixti; conversiva sive transmutativa: exæqvativa naturarum; effusiva & transfusiva ad inhærentiam per se formaliter & subjectivè: multiplicativa, qva id, qvod uni subjecto competit, alteri non qvidem qvoad identitatem numeri-

cam,

cam, attamen qvoad identitatem ſpecificam, aut ſaltem qvandam humilitudinem communicatur, qvomodo Deus bonitatem ſuam creaturis, parentes naturam ſuam liberis communicant; his, inqvam communicationum modis repudiatis ſtatuimus fieri communicationem κ' ἰδιώματων eamq; non eſſentialem, qvalis eſt animæ & corporis, nec accidentalem, cujusmodi eſt inter ferrum & ignem, ſed perſonalem, ut divinæ naturæ idiomata humanitati propter unionem communicentur ſine ulla ſui multiplicatione aut confuſione ad communem poſſeſſionem uſurpationem & denominationem eamq; vel immediatam, cum dico, Chriſtus homo eſt omnipotens, vel mediatam, cum dico, Chriſtus homo eſt æternâ majeſtate, æterna potentia, æterna & infinita ſcientia ornatus; ſic tamen, ut divinitati tribuatur gloria infinitæ majeſtatis ὡς πρώτῳ immediatè & per ſe, humanitati verò κατ' ἄλλο ἓν πρῶτον mediatè ſive per aliud primum, nempe per & propter unionem perſonalem, ſecundùm qvam homo Chriſtus eſt omnipotens, omniſcius in ſe ſive omnipotentia & omniſcientia ſecum communicata, non autem ex ſe ſed ab anima. Ubi nota, ſubjectum Phyſicum cum ſubjecto Logico non eſſe confundendum. Dici reqvirit ineſſe: ſed multa prædicantur, qvæ non inſunt ſubjectivè. De

Deo dicitur creatio, qvæ tamen ei non ineſt ſubjectivè. Eadem eſt ratio divinorum attributorum qvæ Deo non inſunt ſubjectivè, interim ei verè & realiter competunt. Sic juſtitia Chriſti homini fideli realiter imputatur, non autem inhæret ſubjectivè. Qvod ſi nomen effuſionis in hac materia communicationis idiomatum adhiberur, non intelligitur phyſica qvædam transfuſio, qva propria de ſubjecto in ſubjectum migrant, ſed realis majeſtatis communicatio & inhabitatio non particulæ cujusdam, ſed totius plenitudinis Deitatis in carne aſſumpta, & tum donantis gratia, tum donorum virtus & copia imprimis denotatur.

§. XVIII. Pro adſtruenda theſeos Orthodoxia ſeqventia militant argumenta. Primo hic arguimus: Qvamcunqve gloriam Filius Dei ab æterno habuit, eam à Patre petiit & accepit Homo Chriſtus. Atqvi non aliam qvàm infinitam gloriam habuit Filius Dei ab æterno apud Patrem. E. gloriam infinitam à Patre accepit Homo Chriſtus. Major eſt Joh. XVII. 5. ubi Chriſtus homo, Pater, inqvit, glorifica me apud temetipſum ea gloria, qvam habui apud te priusqvam mundus eſſet. Hic intelligi glorificationem naturæ humanæ factam, multa indicio ſunt. Diſtingvi hic naturam divinam, qvæ ab æterno gloriam habuit, & humanam, qvæ non habuit,

habuit, evidens est. Illa gloriæ indiga non est, hæc est. Illi communicatio gloriæ ab æterno facta est per æternam generationem: huic in tempore facta per unionem personalem & exaltationem ad dextram Dei. Id ostendunt voces: *Nunc, venit hom* & similes vide Dan. VII. 13. 14. Benè Tertullianus de Trinit. cap. 24. *Si homo*, inqvit, *tantummodo Christus est, qvomodo dicitur, & nunc glorifica me gloria, qvam habebam apud te prius qvam mundus esset. Si antequam mundus esset, gloriam habuit apud Deum & claritatem tenuit apud Patrem, antequam mundus fuit. Nec enim habuisset gloriam, si non prius fuisset, qvi gloriam posset tenere. Nemo enim habere aliqvid poterit, nisi ante ipse fuerit, qvi aliqvid tenet.* Phrasi, *antequam hic mundus esset*, describi æternitatem ex Prov. IIX. 22. seq. Psalm. XC. 2. Ephes. I. 4. clarum est. Julius Episc. in Catena Græcorum Patr. in Joh. *Qvando dicit*, clarifica me, *de corpore sermo est, & a corpore claritas totius dicitur, qvia totum unum est. Et rursus, cum addit:* Claritate, qvam habui antequam mundus esset apud te, *gloriosam semper divinitatem significat, quæ etsi specialiter ac propriè* (ἰδικῶς) *divinitati competit, communiter tamen de toto composito enunciatur.* Hilar. de Trinit. l. 9. *Gloria non verbo sed carni acqvirebatur.* Vid. Chemnit. de duab. Nat. in Ch. cap. XXI. XXV. Excipiunt Calvi-

viniani, 1. *Non intelligi gloriam infinitam, sed gloriam mediationis.* 2. *Id dici, fuisse eum ab æterno ad hanc gloriam destinatum.* 3. *Sermonem esse de manifestatione glorificationis coram hominibus hactenus absconditæ.* 4. *Proprietates Dei essentiales non posse esse consequens obedientiæ.* Resp. ad 1. Siqvidem per gloriam mediationis intelligant gloriam non infinitam sed finitam, qvod facit Polanus lib. II. Syntag. Theol. cap. 31. manifestum est, hanc Christum non habuisse ab æterno. Ab æterno enim nihil fuit finiti. Ab æterno non sedit Christus ad dextram Dei, qvam esse gloriam mediationis vult Polanus. Unde consequitur, hac stante glossa non potuisse dicere Christum, se habuisse illam gloriam antequam mundus esset. An autem sessio ad dextram Dei essentiales contineat Dei proprietates, alia qvæstio est. Negant id adversarii. Sed eadem opera negent, dextram Dei soli Deo propriam gloriam denotare. Longè melius Cyrill. lib. XI. thesaur. cap. 17. *Gloriam suam, qvam semper habuit ut Deus, ut homo petiit, nec qvia gloriæ propriæ unqvam expers est, hæc ab eo dicuntur, sed qvia in gloriam, qvæ sibi semper adest ut Deo, proprium templum, subducere volebat.* Hilar. de Trin. lib. 3. *Verbum caro factum orabat, ut id, qvod tempore erat, gloriam ejus claritatis, qvæ sine tempore est, acciperet.* Gregor. Nyss. citante Theodoret.

doret. dial. II. *Ipsa dextra unitum sibi hominem in PROPRIAM SUAM evexit celsitudinem seu sublimitatem PER UNIONEM.* Nempe, per unionem communicata est sublimitas & majestas, sed in statu exinanitionis retracta, ut sæpius dictum. Sed & ipsam gloriam mediationis esse infinitam, patet ex Apoc. V. 13. Qvamcunqve ergò gloriam Christus Deus ab æterno habuit, eam hic intelligit. At habuisse infinitam, non finitam manifestum est. Si qværunt Calviniani, QVOMODO? meminerint, in hoc & aliis mysteriis captivandam esse rationem sub obsequium fidei, & *Veritatis simplicitatem per scrupulositatem plerumqve fide nutare*, ut ait Tertull. lib. II. cap. 3. ad Nat. Denique perperam confunduntur gloria mediationis & honor sessionis ad dextram Dei. Illa enim est Christi secundùm utramqve naturam & præcedit: hæc Christi secundùm humanitatem & seqvitur. Ad II. Repugnat illi glossæ textus. Dicit enim Christus, se habuisse illam gloriam, qvam in tempore sibi conferri petit. ἐιχον παρὰ σοι non in decreto tuo, sed *apud TE.* Atqvi ita cepit Antiqvitas, ut modo evictum. Ad III. Reclamant apertissima Christi verba: *Glorifica me Pater παρὰ σεαυτῷ, apud temetipsum.* Nempè non κενώσις sed vera exinanitio præsupponitur. Benè Augustin. tract. 115. *Dicendo, clarificari à se Patrem*

super terram, se autem à Patre apud eundem Patrem, modum profecto utriusque clarificationis ostendit. Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, cum gentibus prædicando: Pater verò ipsum apud semetipsum ad suam dextram collocando. Ad IV. Distinguendum inter possessionem & universalem gloriæ usurpationem: hæc fuit præmium obedientiæ, non illa. Deinde producimus locum Joh. I. 14 *Vidimus gloriam ejus tanquam unigeniti à Patre.* Pulchrè Ammon. in Caten. Græc. Patr. in Joh. *Vidimus; per Stellam Magorum, per Angelos, per Pastores, Hannam, Simeonem, Gabrielem, Mariam Deiparam, per vocem Patris, per Spiritum Sanctum descendentem aliaq; innumera signa & curationes.* Quare de humanitate sermo est, quæ visa est, cum qua communicavit unigenitus propriam gloriam. Neque obstat τὸ ὡς Quasi. Rectè enim Chrysostomus hom. XII. in Joh. *Vox Quasi non est similitudinis neque parabolæ: sed βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ confirmationis ac certissimæ definitionis.* Dices: *Sensum esse, humanitatem Christi habuisse sibi unita, cum hypostasi & natura divina λόγου etiam infinitam gloriam & increata attributa.* Idem fatetur Nestorius: Aliud est uniri, aliud communicari. Dices: *Communicatam esse Personæ λόγου gloriam.* Idem dicit Arius. Sed si una & eadem est ma-

jestas

jestas λόγυ & humanitatis assumptæ, qvomodo non inde seqvetur error Eutychis & Monotheletarum? Non seqvitur: qvia salva manet distinctio naturarum & proprietatum. *Qvomodo vivificat caro Christi?* qværit Cyrillus lib. 5. dial. & respondet: *Secundum unionem cum vipente verbo, qvod & suæ naturæ bona proprio corpori communia solet facere.* Sic est vitandus Eutychianismus ne in Nestorianismum & Arianismum incidamus. Tandem sic concludimus: Cuicunqve datus est Spiritus non ad mensuram, ille accepit infinita dona. Atqvi Christo homini datus est Spiritus Sanctus non ad mensuram. Ergo. Minor est Joh III 34. conf. cap. I. 16. Excipit Wendelinus: *Sensum hunc esse posse, Patrem Christo Deo communicasse totam deitatis plenitudinem. Aut si intelligendus est hic locus de humana natura, non posse inde evinci communicationem immensorum donorum, significari totalitatem donorum spiritualium & perfectionum, qvatenus in creaturam ea cadit; sine mensura dici dari, qvod liberalius & copiosius datur.* Ebr. I. 9. Resp. Si sic pergunt Calviniani corrumpere Scripturas, recta via abibitur ad Arianismum. Qvem sapit & *posse* illud Wendelini & glossa ipsa de datis in tempore Filio Dei excellentiis divinis. Non permittit fides catholica, ut dicamus Christum juxta divinam naturam per æternam generationem à

Patre

Patre accepisse Spiritum Sanctum, cum Spiritus à Filio æqvè ac Patre procedat. Unctus est Christus secundùm naturam humanam, ergò & secundùm eandem accepit Spiritum Sanctum. Prius inde patet: qvia in tempore facta est unctio Act. X, 38. Ille enim dicitur unctus, qvi dicitur Jesus Nazarenus & obambulavit. Ubi nota, unctionem non esse à solo Patre, neqve esse ordinationem seu distinctionem Filii Dei ad officium Redemptoris (sic enim ab æterno unctus esset) sed donationem Spiritus Sancti tempore incarnationis factam. Cæterum intelligenda esse dona infinita, litera clamat absolutè posita, sine mensura. Cui tantisper inhærendum ducimus, donec causam satis validam & urgentem Adversarii protulerint, cur ab ea sit recedendum. Nempe τὸ ἐκ μέτρου non opponitur toti & integro, sed immenso, qvod non est ἐκ μέτρου. Apostoli acceperunt liberalius & copiosius Spiritum Sanctum, sed non sine mensura. Finge, dona creata esse communicata tantum. Hæc erunt cum mensura. Etenim creavit Deus omnia debito pondere, numero, mensura. Adde qvod finitum & mensuratum minus evadit, si illi detrahatur. Non ita Christus homo: cujus in exhaustum fontem agnoscimus & ex ejus plenitudine haurimus & accipimus omnes sine imminutione, qvod infi-

nitatis

nitatis argumentum est, Joh. I. 16. Tertullian. de Trinit. huc spectant verba: *Spiritus Sanctus in solo Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura, aut portione mutuatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè admissus, ut ex illo delibationem quandam gratiarum cæteri consequi possint, totius Sp. Sancti in Christo fonte manente.* Et Alcuini lib. 2. de Trin. cap. II. *Hominibus ad mensuram dat, unico autem Filio ad mensuram non dat: quia omnis plenitudo deitatis in illo habitat. Ipse enim est qui dat Sanctis: Ipse est, qui accipit. Et quia potens est ad mensuram dare, ideò non debuit ad mensuram accipere.* Neque obstat locus Ebr. I. 9. Terminis quippe comparativis sæpe simplex negatio infertur. Ebr. I. 4. Christus dicitur *excellentius nomen sortitus esse præ Angelis*, quod tamen Angelis simpliciter denegatur vers. 5. & 12. Ps. CXXXV. 5. Deus dicitur *magnus præ omnibus Diis:* hoc est, solus verè magnus, reliquis omnibus exclusis. Adde Ps. CXIIX. 8. 9. Joh. III. 19. Luc. XIIX. 14. Matth. XXI. 31. Non ergò sensus est, quod credentes etiam veniant in κοινωνίαν istorum infinitorum donorum, etsi inferiore gradu, quam Christus homo. Sicut enim unio hypostatica ab inhabitatione gratiosa; sic unctio Christi & Sanctorum toto genere differunt.

§. XIX. Objiciunt his Adversarii multa, è quibus pauca eaq; exstantiora videamus. Ad

Patrum

Patrum illud ἀξιομνημόνευτον. Quicqvid datum est Christo in tempore, secundùm humanitatem datum est, excipiunt: *Patres non intelligere humanam naturam distinctam à divina, sed λόγον ἔνσαρκον: alias dicendum esse, humanam Christi naturam esse Spiritum, secundam Trinitatis Personam, æternam: respicere Patres officium mediatorium, in qvod λόγος ἔνσαρκος est introductus: etiam humanam naturam datam esse λόγῳ in tempore, non certè secundùm naturam humanam.* Sed qvid istis ineptiis opus est? Clarissimus Cyrillus in Thesaur. lib. 10. c. 2. *Accipere omnia ipsi ut homini tribuendum est, qvæ ut Deus naturaliter habet.* λόγος ἔνσαρκος ex mente Adversariorum nec humanitas est nec divinitas, sed tertium qvoddam, contra Regulam Nazianzeni: *Duæ sunt naturæ in Christo, ex qvibus constat, in qvibus subsistit, & est utrumqve.* Nempe Deus & homo. De hac persona qværitur, secundùm qvam naturam ex gratia acceperit summam celsitudinem. Non certè sublimatus est Christus secundùm divinitatem, aut secundùm utramqve naturam, sed secundùm naturam humanam. Humanam naturam dicere Spiritum, secundam Trinitatis personam, æternam non licet, qvia humanitas per unionem non est facta divinitas, sed Deus factus est homo. Et ista sunt

ita

ita comparata, ut ad finem incarnationis non faciant, qvippe ἀνενέργητα. Non ergò dari debuerunt. Imò non potuerunt salva manente origine & compositione carnis. Alia ratio est idiomatum ἐνεργητικῶν, qvæ essentiam divinam denominant ratione virtutis, qvatenus forinsecus operando se exerit. Qvanqvam verò humana natura non sit secunda Persona Trinitatis, est tamen Christus etiam cum carne assumpta dicitq; debet secunda Trinitatis Persona: Non enim caro est extra Trinitatem collocanda, vel qvaternitas Personarum introducenda. Benè Augustin. tract. 90. in Johann. *Forma servi Filio in Trinitate ad unitatem Personæ coaptata est, ne qvaternitas sed Trinitas prædicetur.* Ambrosius *carnem Christi* ait esse *in consortio Trinitatis.* Eustatius apud Theodoret. dial. 2. *Carnem Christi consortem esse divinissimo Spiritui.* Cyrill. Epist. 8 ad Nestor. *Verbum, cum corpore proprio ipsi Patri assidere.* Hesych. in S. Levit. *Carnem esse partem Trinitatis propter inseparabilem cum ea verbi unionem* dicit. Qvod dum asserit, Ambrosio assonat, cujus & hæc sunt verba: *Non esse despiciendam carnis humanæ naturam, qvæ in sacrosancto Trinitatis consortium per Dominum nostrum Jesum Christum ingredi meruerit.* Patres eum officium mediatorium respiciunt, regulam Concilii Chalcedonensis inculcant: *Utraqve natura agit, qvod*

qvod suum est, cum communione alterius. Non ergò introductio in officium mediatorium Patrum datio esse potest. Illud enim est commune naturæ utriqve: hæc ad carnem restringitur. Neqve τὸ ex gratia donavit, qvod Paulus magno pondere posuit, vel ad officium mediatorium, vel ad carnem λόγῳ datam applicari potest. λόγῳ qvippe sive ἄσαρκῳ sive ἔνσαρκῳ εἰς βελτίωσιν sive meliorationem ex gratia nihil dari potuit, qvæ per æternam generationem jam omnes perfectiones habet. Manet ergò regula Pauli & Patrum solido subnixa fundamento: Qvicqvid ex gratia donatum ad βελτίωσιν (de hac enim jam agimus) est Christo in tempore, id non secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem intelligendum. Neqve hic audienda ratio cœca est, sed Scriptura lux mentis nostræ. Obj. II. *Si communicata sunt idiomata divina humanitati Deus est, & duo omnipotentes, duo Dij* &c. Resp. Si facta esset communicatio μεθεκτικῶς & essentialiter firma illatio esset. At jam communicationem κατ' ἐνοῦσαν statuimus. Qvæ non infert duas omnipotentias aut duos omnipotentes, sed unum omnipotentem, cujus natura divina omnipotentiam habet per naturam & κατ' ἐνοῦσαν eandem communicat humanitati. Obj. III. *Nihil qvod est ipsa Dei essentia,*

essentia, creaturæ communicari potest. Communicatione nempe essentiali. Alias & pii dicuntur κοινωνοὶ θείας φύσεως II. Pet. I. Qvod si hic communio obtinet, multo magis ea valebit in homine Christo, *in qvo tota plenitudo Deitatis habitat.* Coloss. II. Obj. IV. *Si idiomata divina sunt communicata humanitati, sequitur, aut humanam naturam fore formale principium operationum divinarum, aut duas dari omnipotentias.* Negatur sequi. Sequeretur, si humana natura in abstracto & secundùm se haberet idiomata divina. At jam in concreto qvatenus nempe subsistit in Filio Dei, habet communicata secum idiomata sine ulla idiomatum multiplicatione aut confusione vel eversione & exæqvatione naturarum. Obj. V. *Qvi indiget alienа sustentatione & potest mori non est Omnipotens. At homo Christus* &c. Ergò. Limitatur Major: is non est omnipotens per essentiam. At sic conceditur Minor. Interim distingvendum inter id, qvod ex propria indigentia aliena sustentatione utitur, & inter id, qvod aliena sustentatione fruitur peculiari οἰκονομίᾳ. Neqve enim id imperfectionem arguit, sed interventioni τῆς λόγου imputandum, qvi naturalem carnis subsistentiam intervertit & vicem ejus supplevit. Sed hæc cum aliis supra discussa sunt. vid. §. 12.

§. XX. Pergimus ad idiomata ipsa, Omnipotentiam ejusq; surculos, Omniscientiam, dignitatem accipiendi religiosam adorationem, & idioma officii Regii Omnipræsentiam. Omnipotentiam communicatam loqvuntur loca manifesta. *Mihi,* inqvit Christus, *data est omnis potestas in cœlo & in terra* Matth. XXIIX. 18. *Filio hominis* Dan. VII. 14. Dicitur *datus* esse *dominatus GLORIAQVE & regnum, ut omnes populi nationes & lingvæ ei serviant: cujus dominatus est perpetuus, qvi non præterit & regnum ejus regnum, qvod non corrumpitur.* Sic & Matth. XI 27. Christus *omnia sibi tradita esse à Patre* ait, qvod repetitur Joh. III. 35. XIII. 3. XVII. 2. Excipiunt ad hæc Calviniani & ad locum qvidem Matth. XXIIX. *Intelligi eum de collectione & gubernatione Ecclesiæ, qvæ sit potestatis finitæ aut mediæ cujusdam inter finitam & infinitam.* 2. *Agi de officio, non de potentia.* 3. *Intelligi potestatem moralem* ἐξουσίαν *sive jus, qvale habeat, v. g. Rex aliqvis terrenus delendi hostes suos, utut non habeat* δυνάμεις *vires vel potentiam.* &c. Respondeo ad 1. non de sola Ecclesia sermonem esse, sed de omnibus creaturis πάσαι ἐξουσίαι: à qva nihil eorum, qvæ ullibi sive in cœlo sive in terra sunt, excipitur. Sed ponamus, de tali potestate esse sermonem, cujus vi colligit sibi Christus homo Ecclesiam, eamq; tuetur. Hoc profecto non est finitæ virtutis.

Neqve

Neqve dici debet, esse infinitam respectu Dei, finitam respectu hominis. Sic enim duo constituuntur agentia, duo subjecta, duo ὑφιστάμενα, qvorum unum sit finitum, alterum infinitum: imò duæ introducuntur omnipotentiæ, qvarum altera nempe divinæ naturæ verè, altera, nempe humanæ qvodammodo saltem sit infinita, in se finita. Ne dicam, contra principia disputari, qvando uni eidemq; voci semel positæ vis simul significandi potestatem infinitam & finitam attribuitur. Inepti sunt, qvi potestatem officii dicunt intelligi, qvæ nec finita sit nec infinita. Nam & sic contra principia disputatur, cum inter finitum & infinitum nullum detur medium: & porriguntur arma Socinianis, contendentibus dari Ens, qvod non finitum sit nec infinitum, nec Creator, nec Creatura. A qvibus qvàm proximè absunt adversarii, cum dicunt, geminam esse potestatem, alteram superiorem & infinitam, alteram inferiorem & finitam, item, Christum esse Patris Vicarium & habere jus secundarium, & qvæ sunt hujus furfuris alia, qvorum nulla fundamenta monstrari possunt ex Scripturis. Has si audimus, unus est Dominus I. Cor. IIX. 6. in qvo idiomata distincta, sed majestas mea, dignitas indivisa, qvia una est & indivisa Persona: non duplex majestas altera finita altera infinita, nec duplex dominium,

minium, alterum principale, altetum vicarium. Neqve hinc seqvitur, humanam naturam esse independentem: manet ea dependens, sed habet independentem majestatem non independenter, ut divina, sed dependenter à divina. Interim una est majestas. Sunt qvi dicant, Dominum cœli & terræ non esse idioma Dei, eo qvod non fuerit ab æterno. Sed idiomata alia sunt absoluta, alia relativa qvæ circa effectum finitum & temporalem versantur, sed infinitam virtutem supponunt. Qværo; qva potentia Deus creavit & adhuc gubernat universa? Omninò æterna & infinita Rom. I. 20. Qvare respectu potentiæ dominium est attributum absolutum, cujus tamen exercitium respectum involvit ad creaturas. Neqve dominium ex parte objecti vel effectus, sed ex modo & virtute agendi censendum est. Neqve dicendum, hominem Christum exercere dominium per omnipotentiam, tanqvam principium externum hypostaticè conjunctum. Exercet per virtutem secum realiter communicatam, non solùm qvia conjuncta est ipsi omnipotentia, sed qvia verè est omnipotens. Sunt, qvi ad denominationes extrinsecas confugiunt: sed hæ nihil perfectionis in re, qvam denominant, important. Alii dicunt, potentiam Christi hominis ideò statuendam finitam, qvia nominibus illis cœli & ter-

& terræ velut certis finibus & limitibus designatur atqve circumscribitur. Sed & hi contra principia disputant. Qvi enim nescit, stylo Scripturæ omnipotentis Dei imperium describi expressione cœli & terræ? I. Paral. XXIX. 11. Sic Deo David benedicit: *Tua est, ô Jehovah, magnitudo & potentia & gloria & æternitas & majestas & omnia in cœlo & in terra.* Ipse Christus Matth. XI. 25. *Gloriam*, inqvit, *tibi tribuo Pater Dominus cœli & terræ.* Ad eundem modum Abraham Gen. XIV. 22. summam Dei omnipotentis potestatem describit. Ergone dicendum, omnem Dei potestatem esse finitam? Non enim exclusive ad cœlum & terram restringenda est divina potentia, qvippe qvæ ad omnia possibilia extenditur. Et qvid est dominium hoc, nisi virtus & authoritas sustentandi cœlum & terram, gubernandi, puniendi, destruendi? Qvod profectò à finita virtute & potentia proficisci neqvit. Ad II. resp. Confundi administrationem officii cum Christi ad illud aptatione; officium ipsum cum potestate, qva Christus homo in officio suo utitur. Hanc Adversarii volunt esse finitam, à qva procedere debeat ἀποτέλεσμα virtutis infinitæ. At hoc per rerum naturam fieri neqvit. Concedunt nonnulli ex Adversariis, qvod omnipotentia sese in natura humana exserat, qvod humanitas Dei organon sit: Sed addendum,

qvod se exferat, qvatenus ei communicata verè & realiter possidetur. Nam & per Apostolos se exerebat Phil. IV. 13. At alia ratio est hominis Christi. Ad III. resp. Hoc effugium tam stultum esse, ut ipsi Zanchio displiceat lib. 2. de incarnat. qvæst. XII. Adde Martin. in Theol. p. 122. aliosq; qvi ex hoc loco æternam Christi deitatem colligunt, qvæ collectio nulla est, si Calvinianistica glossa locum haberet. Cæterum qvanqvam ἐξουσίαν & δυνάμιν profani authores fortè distingvant, in Novo tamen Testamento sæpè connectuntur, seq; mutuo explicant. Confer Luc. XXII. 69. cum Matth. XXVI. 64. Luc. IX. 1. IV. 36. X. 19. I. Cor. XV. 24. Eph. I. 21. III. 20. 21. Apoc. XVII. 13. I. Pet. III. 22. Estq; ἐξουσία velut exercitium δυνάμεως Joh. XVII. 2. Matth. XXIV. 10. Luc. XXII. 69. Act. X. 38. Phil. III. 21. adeoq; Christo homini expresse tribuitur non ἐξουσία tantum verum etiam δυνάμις καὶ ἰσχὺς Apoc. V. 12. Qvare sic concludimus. Illa ἐξουσία πᾶσα, aut ipsa est omnipotentia πᾶσα δυνάμις, aut omnipotentiam includit, aut est nuda potestas moralis & caret δυνάμει atqve virtute. Si primum & secundum, habemus intentum. Si tertium, titulus sine re tribuitur Christo, qvod falsissimum est vel Leidensium judicio, qvorum Disp. XXIIX. th. 26. hæc sunt verba:

verba: *Hæc Christi capitis gloria non est titularis sed cum potestate & imperio in omnes creaturas etiam conjuncta* &c. Ad Matth. XI. excipiunt *agi de communicatione essentiæ divinæ.* 2. *De officio mediatorio, quod scilicet Pater in Persona Christi omnes thesauros cœlestium bonorum reposuerit, quæ ad salutem generis humani pertinent, unde sequitur, Nemo novit Patrem* &c. Resp. ad I. Patrum nonnullos sic explicare: Christum loqvi de traditione Patris & acceptione Filii, ne existimemus duos esse Ingenitos, sed qvod Filius à Patre acceperit divinitatem, non qvidem qvod prius exstiterit natura qvædam Filii creata, cui Pater tradiderit omnia, sed qvod Pater tradiderit gignendo & Filius nascendo acceperit, non qvædam sed omnia qvæ Pater habet. Joh. XVI. 15. Hinc dicitur in PROPRIA venisse Joh. I. 11. Ergò, qvæ ipsi data sunt, non fuerunt aliena, sed propriissima. Propriissima, inqvam, secundùm divinitatem: sed tradita in tempore secundùm humanitatem. Qvod ostendit προσδιορισμὸς Joh. V. 26. *Qvia Filius hominis est.* Ad II. jam responsum est. Ad Joh. XVII. 2. ubi dicitur Christo data esse potestas omnis carnis excipiunt. 1. *Intelligi potestatem finitam.* 2. *Data esse Personæ.* Resp. ad 1. Intelligi potestatem infinitam clarum est ex Num. XVI. 22. XXVII. 16. Jerem. XXXII. 27. Ad 2. Data esse Personæ secundùm

naturam eam, qvæ acipere potestatem potuit Athanas. de Ariana & Catholica Confessione: *Deus non est mutatus in humanam carnem vel substantiam, sed in se ipso, qvam assumpsit, glorificabat naturam, ut humana infirma mortalis caro atqve natura DIVINAM profecerit GLORIAM, ita ut omnem potestatem in cœlo & in terra habeat, qvam, anteqvam à verbo assumeretur, non habebat.* Ammon. Caten. Græc. Patr. in Joh. III. 35. *Pater dedit ei omnia. Accepit ut homo potestatem, QVAM etiam ante incarnationem habuit ut Deus.* August. tract. 105. in Joh. *Qvod potestas Christo à Patre data omnis carnis secundùm hominem intelligatur, nam secundùm Deum omnia per ipsum facta sunt.* Eustachius citante Theodoret. dial. II. *Christus ipse corpore ad proprios venit Apostolos, dicens: data est mihi, potestas omnis in cœlo & in terra, qvam potestatem accepit extrinsecus templum & NON DEUS, qvæ templum illud præcipua pulchritudine ædificavit.* Damasc. lib. III cap. 18. *Divina Christi voluntas erat æterna & omnipotens, humana verò ejus voluntas à tempore cœpit, & naturales innoxias affectiones sustinuit. Et naturaliter non erat omnipotens: ut autem verè & secundùm naturam verbi voluntas est facta & omnipotens est,* hoc est, ut explicat Commentator, *divina voluntas suapte natura habet potentiam omnia efficiendi, qvæ velit: humana verò Christi voluntas non sua natura habet*

omnem

omnem efficacem virtutem, sed UT VERBO unita. Et cap. 19. *Caro operanti Deitati verbi COMMUNICAT, ideò, qvod divinæ operationes per organon corporis perficiuntur* &c.

§. XXI. Hæc omnipotentia communicata in tres velut sarculos dividitur, potentiam miracula edendi, potentiam vivificandi & potentiam judicandi orbem, qvæ pariter infinita sunt dona. De virtute miracula edendi testantur loca plurima Matth. IIX. 3. Act. X. 35. & imprimis Marc. V. 30. ubi virtutem à se exiisse Christus affirmat. Detestanda est vox Danæi in Exam. lib. Chemn. p. 118. 156. ubi dicit, *naturam Christi humanam in patrandis miraculis plus non feciſſe, qvam fecerit virga Mosis, in miraculis coram Pharaone editis.* Nec minor est blasphemia Sohnii art. 3. August. Confess. *non magis divinam virtutem vivificatricem in carne Christi & cum ea fuisse, qvam in fimbria Christi & cum umbra Petri* Act. V. 15. Dices: *Distingvendum esse inter ἐνεργείας & ὁπλέσματα θεωδικὰ, ad hæc, non verò ad illa concurrere carnem Christi.* Sed meminerimus, humanam Christi carnem esse Deificatam, ut loqvuntur veteres, qvatenus divina natura humanam tum substantia tum divinis operationibus implet, ut non humanis tantum verum etiam divinis operationibus tota caro coruscet. Nempe cœcis visum, surdis auditum, mutis vo-

cis usum restituere, leprosos sanare, imò vel absentes etiam verbulo sanare, mortuos in vitam revocare, & qvæ sunt hujus generis stupenda opera alia, divinæ sunt ἐνέργειαι. Si dicant Adversarii, ex divina qvidem virtute oriti miracula, sed in illorum exsecutione nullam prorsus inter Christum qvoad humanitatem & inter Apostolos esse differentiam: ita ut qvemadmodum his, ita illi tantum externum ministerium relinqvatur, cogitent, annon hoc sit separare naturas & Nestorii castra seqvi, duosq; constituere operantes, unum, qvi propriè miracula edat, alterum, qvi in miraculis edendis ministerium exhibeat. Longè rectius Athanas. contr. Arian. serm. 4. *Caro suo ministerio divinitatis operibus inserviit: & humanitas facta est organon, per qvod* λόγος *suam operationem exercet. Nisi opera Deitatis Verbi per CARNEM patrata fuissent, nunqvam homo deificatus fuisset.* Et dial. V. Trinit. *SICUT anima in corpore: sic Deus* λόγος *unitus homini edidit prodigia non separatus à natura assumpta: sed placuit IN EA, CUM EA & PER EAM potentiam suam divinam exerere.* Hæc Athanasius, cui nos toto pectore subscribimus. *Non secundùm propriam operationem, sed propter unitum sibi verbum operabatur (homo Christus) verbo per carnem propriam operationem manifestante. Nam & ferrum ignitum urit, non naturali ratione possidens*

ustricem

ustricem operationem, sed obtinens eam ex unione ignis & ferri. Damasc. lib. III. cap. 17. Non ergò in miraculis tantùm humanæ operationes, qvales sunt, voce humana loqvi, digitum auribus inserere, manibus contrectare, sed divinæ qvoqve carni attribuendæ, qvæ virtute secum communicata Luc. IIX. 46. Longè aliter ac Apostoli, verbo mortuis vitam, digitis in aurem insertis surdo auditum, & manus contactu visum restituit atqve reddit. Finge, hic hominis non nisi humanam operationem esse, ubi manebit unitas Personæ operantis, Deificatio carnis, & communio naturarum, & θεανδρικὴ ἐνέργεια, qvam ex Dionysii Areopagitæ verbis proponit Damascenus lib. III. cap. XIX. *Utiqve dicendum, nec humanam naturam humano modo operatam, qvia nudus homo non erat, nec divinam divino tantum modo, qvoniam non Deus tantum erat sed Deus & homo simul,* cujus commentat. lib. III. cap. 15. *Suscitationem Lazari* dicit *esse divinitatis operationem, ad eam tamen cooperatam esse humanitatem.* Qvomodo & Cyrill. lib 4. cap. 14. in Joh. *Carnem suam in edendis miraculis qvasi cooperatricem adhibuisse* docet. De virtute vivificandi tum spirituali tum corporali loqvuntur expressi Scripturæ textus. Matth. IX. 6. Christus ait, *se ut Filium hominis habere potestatem remittendi peccata;* Potestatem, inqvam, judiciariam non

subde-

ſubdelegatam, ut Zanchius putat, ſed ſummam, unde & blaſphemiæ cum arguunt Phariſæi, id utiqve non facturi, ſi poteſtatem delegatam ſibi vendicaſſet. Joh. VI. 33. 50. ſeqq. Caro Chriſti eſt vivifica.

O. panis vitæ eſt vivificus.

Caro Chriſti eſt panis vitæ. E.

Adde I. Cor. XV. 21. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificantur.* Joh. XI. 25. dicit Jeſus: *Ego ſum reſurrectio & vita.* Excipiunt, *naturam humanam meritum præſtare, non efficaciam: ſi caro fuiſſet vivifica non potuiſſet mori; vivificare non per vitam Dei in unione perſonali communicatam, ſed quatenus ejus caro manducatur fide: Dici vivificam, qvia adjuvetur per efficaciam λόγϖ, & vivificantis Deitatis effectum eſſe virtutem vivificandi, qvæ eſt in carne Chriſti.* Reſp. Si caro eſt vivifica merito, utiqve virtutem vivificandi infinitam habet. Qvid enim aliud eſt meritò vivificare, qvam ſatisfacere pro peccatis, opera Diaboli deſtruere, mortem vincere, juſtitiam æternam cum ſalute nunqvam deſitura acqvirere? At nihil horum præſtare vis finita poteſt. Non ergò dubitandum efficaciam infinitam cum carne communicatam, qvæ merito ſuo vivificat. Nullatenus cum Stancaro & Jeſuitis, *ſolam naturam humanam meruiſſe vitam, qvam effecit ſola divinitas*, aut, *meritum carnis eſſe*

ſine

sine effecto, aut, *alium effectum meriti, alium efficaciæ, nec morte Christi, qva meruit reconciliationem nostri cum Patre, effectivè nos reconciliatos esse.* Qvæ omnia inepta absurda & falsa sunt. *Ipsa caro Domini mortalis erat propter seipsam, & vivifica propter hypostaticam ad verbum unionem*, inqvit Damasc. lib. III. cap. 17. Christus vivificat secundùm utramqve naturam, unde & morte ipsius dicimur efficaciter reconciliati. Rom. V. 10. & sangvine efficaciter mundati I. Joh. I. 7. & caro Christi fide manducata beatam donat immortalitatem. Si non obtineret caro virtutem vivificandi infinitam, nec reconciliare nec mundare nec fide manducari posset. Fides enim non in virtutem finitam, sed infinitam recumbit. Memorabile est Oraculum I. Cor. XV. 45. *Secundus Adam in animam viventem.* Qvemadmodum corpus primi hominis propter unionem cum anima vivente, factum est vivens per Spiritum viventem: sic caro Adami secundi propter unionem cum Verbo, facta est vivifica per Spiritum vivificantem. Qvi dicit, carnem Christi adjuvari per efficaciam λόγυ, & virtutem vivificandi in carne esse effectum λόγυ vivificantis, duas ponit in Christo vivificantes virtutes, alteram infinitam, alteram finitam infinitæ effectum contra Scripturam, qvæ ubiqve vivificationem divinæ virtuti infinitæ in soli-

dum

dum adscribit, nec vim vivificatricem aliam agnoscit, qvam qvæ Dei propria est: negat θεανδρικὴν ἐνέργειαν, duos constituit vivificantes, alterum, qvi effectivè vivificet, alterum qvi meritò tantum & ab alterius efficacia adjuvetur. Execranda est temeritas & audacia orthodoxi consensus, cujus verba supra allegavimus, nec nisi anathemate elidenda, qvod suggerit Concilium Ephesinum Can. II. *Si qvis non confitetur, carnem Domini esse vivificam, propterea qvod propria facta est Verbi, qvod omnia vivificat, anathema sit.* In cujus anathematismi explicatione Cyrillus dicit: *Nestorium voluisse vivificandi vim tribuere carni Christi, sed sententias Joh. VI. exposuisse de sola divinitate.* Tom. IV. p. 140. Qvare Nestorianizant, qvi varios hic tropos comminiscuntur carnem esse vivificam κατ' ἄλλο respectu Deitatis, hoc est, solam Deitatem esse vivificam, non humanitatem contendentes. Qvo ipso naturas in effectis divellunt, ut sola divinitas agat, humana natura, efficaciter non cooperante, unionem παραθεωρικὴν relinqvunt & hominem Christum in eundem cum Apostolis ordinem redigunt, qvi & ipsi lingvam patrandis effectis divinissimis commodarunt. Aliter Veteres & in iis Cyrillus, qvi in Joh. VI. hæc observat: *Qvamvis ipsa per se caro natura sua impotens sit vivificandi, qvatenus tamen vivificum in se*

in se verbum continet, ipsa etiam vivificat. Non enim alicujus de terra orti, sed ejus, qui natura sua vita est, corpus existit. Vita siquidem secundùm naturam existit, in quantum ex vivo Patre genitus est. Sed NON MINUS sacrum ejus corpus vivificat, utpote modo quodam ineffabili vivificanti omnia verbo conjunctum, pro cujus etiam habetur & tanquam quid unum cum ipso intelligitur. Post incarnationem enim indivisus est præterquam quod genitum ex Deo Patre Verbum & templum ex virgine Maria assumptum nequaquam idem natura intelligendum sit, sed conjunctione duntaxat atque connexione ineffabili. Quoniam igitur vivifica facta est caro Salvatoris, cum illam degustamus, tum vitam habemus in nobis. Hanc enim ob causam etiam in ipsis mortuis suscitandis non verbis duntaxat & imperio Deo congruenti Salvator usus invenitur, verum etiam carnem suam quasi cooperationem quandam vel idcirco maximè adhibuisse, ut ostenderet illam & vivificam & unum quid secum factam esse. Enimverò proprium ejus & non alterius corpus erat, UNICAMQVE ac COMMUNEM UTRIUSQVE OPERATIONEM ostendebat. Quemadmodum autem, si quis acceptam scintillam paleis quamplurimis infunderet, ut semen illud ignis exsuscitaret: ita etiam Dominus noster Jesus Christus PER CARNEM SUAM in nobis vitam occultat, & instar cujusdam seminis immortalitatem, totam, quæ in nobis

est,

est, abolens corruptionem, lib. 4. cap. 14. Longè aliter hæc sonant, atqve ista Calvinianorum: vivificat meritò, non efficacia: Caro Christi est vivifica per extrinsecam denominationem &c. Qvæ effata cum Cyrillo conciliari neqveunt, cujus in Joh. lib. 2. c. 14. hæc sunt libratissima & signantissima verba: *Nolite mirari, si cum me hominem videatis, resuscitaturum tamen mortuos me pollicear & in judicium deducturum minister: dedit enim mihi virtutem vivificandi Pater (Pater dedit Filio vitam habere in semetipso) dedit potestatem judicandi. Qvapropter causam, qvare hæc sibi à Patre data dixerit, ilico subjecit, dicens: qvia Filius hominis est, ut intelligamus omnia sibi data ut homini, qvi cum creatura sit, nihil habet à seipso: unigenitus verò Filius non vitæ particeps, sed vita naturaliter ut Pater est.* Atqve hinc qvoqve patet, potestatem judicandi Christo communicatam QVATENUS Filius hominis est Joh. V. 27. ubi τὸ ὅτι non accipitur αἰτιολογικῶς, sic enim omnes homines hanc habeunt potestatem, sed ὁριστικῶς & δεικτικῶς, ut rectè interpretatur Cyrillus. Potestatem judicandi cum dico, simul intelligo cordis manifestationem, exqvisitam dijudicationem, separationem & exsecutionem.

§. XXII. Sed de omniscientia, cujus est scrutari corda & renes, nunc videamus, an & ea humanitati Christi sit communicata. Qvi dicta expendit,

expendit, negare non debet omniscientiæ communicationem. Qvi enim est omnipotens, utiqve & omniscius est. Scit enim omnia, qvæ facere potest. Qvi judicaturus est orbem terrarum in justitia, eum & omnipotentem esse necesse est, & omnium rerum scientiam habere, etiam intimorum cordis recessuum & latebrarum. Sed & de hac extant textus Scripturæ clarissimi. Esa. XI. 2. Super filio hominis *qviescere* dicitur *Spiritus Jehovæ, Spiritus Sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilij & potentiæ.* Disertè Petrus: *Tu Omnia nosti* Joh. XXI. 17. Adde exempla καρδιογνωσίας Matth. IX. 4. XXI. 2. Joh. II. 24. VI. 64. Hinc dicuntur *in Christo* esse *reconditi omnes thesauri sapientiæ & notitiæ* Coloss. II. 3. Nihil attinet primi generis dicta de dono creato aut Sol sola divinitate explicare, sicut magna temeritate faciunt Calviniani, qvi naturas tantum in suis proprietatibus considerant, & hoc ipso unionem περιχωρήσεως ponunt, super arena struentes immensam vanissimarum subtilitatum molem. Qvales sunt: *Sapientiæ Spiritum esse donum creatum: Scientiam qva Christus novit omnia, dici qvidem posse respectu objecti infinitam, sed in se esse actum finitum: Christum hominem nosse corda hominum, non virtute omniscientiæ communicatæ, sed in qvantum divina natura humanæ revelat arcana cordium idq; successivè qvando & qvantum*

opus est &c. Qvæ nullum in Scripturis fundamentum habent, & propterea eadem, qva asseruntur, facilitate rejiciuntur. Neqve necessum est, dicere, mentem humanam formaliter intelligere omnia per omniscientiam. Qvasi non sit alius modus præter scientiam infusam subjectivè & formaliter animæ Christi inhærentem & in mysteriis fidei Philosophia cum modis perviis rationi tantum audienda. Paulus absconditos esse thesauros in Christo dicit, *sapientiæ & notitiæ omnes*. Excipiunt *non respici ad Christum sed ad mysterium, in qvo sunt omnes thesauri: neqve esse sermonem de sapientia Christi, sed ea, qvæ nobiscum per Christum communicetur: aut si de Christo sit sermo, posse accipi de sapientia creata: neqve opus esse, ut de humana natura textus accipiatur, siqvidem de increata sit sermo: aut, si de humana accipiatur, intelligi unionem, non veram & realem communionem.* Hæc Adversarii: qvæ ita sunt comparata, ut fenestram patefaciant impietati Socinianorum. Nam & hi, qvod de Christo dicitur, vel ad Evangelium trahunt qvod remotius, in qvo tamen nec omnes thesauri absconditi, & qvicqvid olim absconditum erat jam revelatum Rom. XVI. 26. vel de nostra capiunt sapientia, qvæ tamen tanti nominis mensuram non implet I. Cor. XIII 12. Christus immediatè præcedit: de Christo in seqventibus agitur, in

qvo

qvo tota divinitatis plenitudo corporaliter habitat: qvare de Christo non de nobis, non de Evangelio textus accipiendus. Neqve tamen hic agitur de ejus sapientia creata, qvam alias ejus naturæ humanæ non negamus. Agi hic de sapientia increata & vis phraseos arguit ut dictum, & supra infraq; scripta demonstrant. Huic enim debetur illuminatio ad agnitionem mysterii Dei: hæc pertinet ad plenitudinem Deitatis inhabitantis in ipso. Qvomodo & Patres hunc locum interpretati sunt, probantes omniscientiam Christi, Hilarius l. 9. de Trinit. Isidor. Pelus. lib. I. Ep. 117. Hieron. sup. Matth 24. Cyrill. lib. XII. Thesaur. cap. 7. Videantur Chrysost & ex eo Theophyl. atqve Remigius in h. l. Damasceni verba mox subjicientur. Neqve abnuunt Adversarii pro Deitate Christi ex hoc loco contra Socinianos argumentantes. Neqve tamen hæc ita accipienda, qvasi de humana Christi natura hic non agatur. Paulus Christum secundùm illam naturam nobis describit, secundùm qvam circumcisus, mortuus, sepultus, resuscitatus & evectus est ad dextram Dei Patris. Secundùm eam rectissimè dicuntur absconditi thesauri: absconditi, inqvam, si plenarium usum respiciamus, in statu exinanitionis, in qvo nonnunqvam radios emisit omniscientiæ secum communicatæ penetrando corda, præ-

dicendo futura. Distingvendus actus primus omniscientiæ Christi & usurpatio particularis ab actu secundo & usurpatione universali, ut supra qvoqve monitum. Interim si absconditi utiqve revera communicati. Audiamus iterum Cyrillum: *Duo forent Filij*, inqvit, *si alius sit omniscius, & alius dimensam haberet scientiam. Novit divinus λόγος omnia, qvum dispensativè mensuram ignorantis humanitatis assumpsit, & ille qvi est immutabilis, appropriavit sibi humana. Illi verò, qvi revelationem datam esse dicunt formæ servi ab inhabitante Deo & qvidem mensuratam, faciunt Immanuelem nobis Prophetam & deiferum hominem & aliud nihil.* Audiamus Damascenum sententiæ veteris Ecclesiæ interpretem lib. III. cap. 19. *Caro operanti Deitati verbi communicat, ideò qvod divinæ operationes per organum corporis perficiebantur: ita sancta ejus mens etiam naturales suas operationes operatur. Communicat autem Deitati verbi operanti ac gubernanti* IPSA ETIAM INTELLIGENS, COGNOSCENS ET DISPONENS TOTUM UNIVERSUM, *non ut hominis mens, sed ut Deo secundùm hypostasin counita & Dei mens constituta.* Et cap. XXI. *Humana natura in Christo essentialiter non possidet seu obtinet futurorum cognitionem, sed ut Domini anima, propter unionem ad ipsum Deum verbum locupletata est cum reliqvis divinis signis etiam futurorum cognitione. Nos ergò dicimus,*

dicimus, unum Christum eundemq; SIMUL DEUM ET HOMINEM omnia scire: in ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Nec obstat ignoratio extremi judicii Marc. XIII. 32. de qva non est eadem omnium sententia. Qvidam putant verba οὐδὲ ὁ υἱὸς non esse Marci, sed ab Arianis inserta. Verum Patres ante Arium hæc verba legerunt, Iren. lib. 2. adv. hæres. c. 48. Tertull. adv. Prax. c. 28. Et qvomodo fraudulenta Arianorum interpretatio fratres fugere potuisset? Qvo pacto irrepere ea in omnes codices potuisset? Qvomodo id per tot seculorum decursus non fuisset animadversum? Alii putant sic esse explicanda, Filius nescit, hoc est, non vult dicere. Sed hæc sententia vera qvidem est, sed cum textu non convenit. Obstat enim verborum cohærentia: de illo die nemo novit (certè sibi) ne Angeli qvidem (omninò sibi) nec ipse Filius. Obstat oppositio, sed Pater solus. At Pater non scivit diem novissimum ad revelandum, non enim revelavit, Ergò nec Filius duntaxat nescivit ad revelandum. Rectè Basilius M. Caten. Græc. Patr. in Matt. *illud ignorantiæ per dispensationem* (οἰκονομικῶς) interpretatur. Et Nazianz. *Apertum est omnibus noscere qvidem tanqvam Deum, ignorare verò se ait tanqvam hominem.* Idq; in statu exinanitionis. Exaltatus qvippe & gubernans omnia omnia actu

scit. Nam qvod absolutè & simpliciter non ignorat diem judicii, manifestum est ex eo, qvod signa eum præcessura proponit. Intelligenda ergò ignoratio de actu naturali, qva homo in statu naturali & exinationis ignoravit, idq; actu secundo. Nestorianorum & Agnoetarum error fuit Christi humanam naturam multa ignorare. Neqve est, qvod regerant Eutychianos fuisse Agnoetas. Sed Eutychiani Agnoetæ *divinæ naturæ adscribebant ignorantiam*, teste Niceph. lib. XIIX hist. Eccles cap. 49. Nestoriani Agnoetæ contra contentebant, *Deum qvidem verbum omnia nosse, humanitatem verò secundùm subsistentiam ei unitam permulta ignorare*, Niceph. cap. 59. Damnati hoc nomine sunt in Concil. Constantin. VI. Act. II. qvod docerent, Christum secundùm naturam humanam in gloria sua non scire omnia. Signanter Gregor. M. lib IIX. Epist. 42. *Qvisqvis Nestorianus non est, Agnoeta nullatenus potest. Qvi ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qva mente valet dicere, qvod Dei sapientia ignoret. Scriptum est: sciens Jesus, qvia omnia dedit Pater in manu. Si omnia profecto & diem judicij & horam. Qvis ergò ita stultus est, ut dicat, qvia accepit Filius in manibus, qvod nescit.*

§. XXIII. Demonstravimus, Deum homini Christo dedisse gloriam majestatis suæ. Hoc

funda-

fundamentum est, & causa, cur Christus homo adoretur. Si enim finita tantum dona accepisset, utiqve cultus religiosi soli Deo proprii capax minimè esset. Sed in specie agamus de hoc axiomate communicato soli Deo competente, de dignitate recipiendi religiosam adorationem, sive de adorabilitate, qvæ omninò est attributum absolutum, utut honor adorationis sit respectivus, qvippe Christo in ordine ad creaturas interveniente aliqvo eorum actu competens. Istam Calviniani in Scripturis suis variè impetunt. Qvorum sententiam priusqvam proponamus notandum, per se & absolutè solam divinitatem esse adorabilem, humanitatem verò propter excellentiam, non propriam sed appropriatam & communicatam, non habitualem & creatam, sed infinitam & increatam coli. Interim Deus & homo una colitur adoratione. Sicut enim gloria infinitæ majestatis una & eadem Deo atqve homini tribuitur, Deo ut subjecto inhæsionis, Homini ut subjecto prædicationis: ita unus idemq; cultus divinus Deo proprius, Homini appropriatus à nobis statuitur. Simul patet qvid respondendum sit ad qvæstionem: an Christus, qva Mediator, sit religiosè adorandus: Qvod omninò affirmandum, salva tamen prærogativa Deitatis, qvæ sola per se & propter se adoratur. Opera me-

diatoria ſecundùm utramqve naturam movent nos ad preces in Salvatorem, Prophetam, Sacerdotem & Regem noſtrum Deum & hominem dirigendas. Summa, reſolvitur adoratio Chriſti in Deitatem, ſed in carne manifeſtatam, & valida eſt conſeqventia: ſi qva Mediator eſt adorabilis Chriſtus, eſt etiam adorabilis, ut homo. Mediator enim eſt ſecundùm naturam utramqve, qvod communiter contra Stancarum defendimus. Adverſariorum non eſt una ſententia. Danæus in Exam. lib. Chemnit. p. 415. hæc habet verba: *Ad ipſam Chriſti carnem etiam in unione Perſonæ manentem propriè & per ſe non dirigitur, aut ſpectat illa noſtra invocatio & adoratio, qvia qvi ad ipſam carnem adorationem ſuam dirigit, ex ipſius ore maledictus eſt* Jerem. XVII. 5. *eſt idololatra* Gal. IV. 8. *Deum blaſphemat* Deut. IV. 6. &c. *cum Chriſtus qvà homo ſit Conſervus noſter* Apoc. XIX. 10. &c. His verbis adorationem humanæ naturæ imò & Chriſti qvà hominis abſolutè negat, id qvod Voëtius ipſe agnoſcit Part. II. diſp. ſelect. pag. 325. Hanc blaſphemiam approbat Beza in Colloq. Mompelgart. pag. 35. Et pag. 344. profitetur, *Calvinianos totum Chriſtum adorare, ſed non totum Chriſti*, hoc eſt, humanitatem cum divinitate, qvod ſic explicat: *Regem vel Principem adoro purpuratum dextra tenentem ſceptrum. In illa adoratione non reſpicio vel ad coronam*

ronam qvam in capite gestat, aut ad purpuram, qvam indutus est, aut ad sceptrum, qvod in manu tenet. Martyr, Zanchius, Alstedius *adorationem duplicem* fingunt, *unam religiosam & absolutè divinam, alteram humanam, qvarum illa tendat in Christum qvà Deum; hæc in eundem qvà hominem.* Alii unam qvidem adorationem statuunt, qvæ ad personam dirigatur, sed cum duplici respectu ad utramqve naturam, ut eadem utriqve eodem gradu non tribuantur, sed *principali respectu divina dentur divinæ; secundario humanæ, tanqvam causæ instrumentali; personæ tamen omnia.* Massonius *distingvit inter objectum adorationis absolutum & relativum*, & addit, *Christum in consideratione absoluta absolutè & communiter cum Patre & Spiritu Sancto adorari; in consideratione relativa illum singulariter unà cum sua carne secundùm utramqve naturam adorari; secundùm considerationem relativam eum adorari ut Mediatorem à Patre & Spiritu Sancto distinctè, ut Deum corda inspicere; ut hominem, preces approbare.* Pareus ait, *fidem in adoratione primo respectu Christum intueri, ut Deum; altero ut Mediatorem, in cujus nomine sit adorandus: Christum ut Mediatorem secundario respectu & inferiore cultu esse colendum.* Wendelinus *distingvit inter objectum adorationis completum seu totale & inter partem objecti completi*, & addit, *humanitatem, qvia est in numero creaturarum, non*

qvidem religiosè adorari, nec tamen excludi ab adoratione, qvum sit pars objecti illius completi, qvod adorandum est & propterea tribui illi in adoratione humana, sicut divina humanæ: cultum adorationis referre naturam apotelesmatum, ad utramqve naturam pertinentium, non in eo divina esse danda humanæ, licet ei qvoqve per relationem nostræ preces notæ sint. Tot distinctiuncularum præstigiis rem involvunt heterodoxiam aliqva ratione pallient. Majori candore rem agunt alii, inter qvos Gomatus, Maccovius & Voëtius, qvi apertè fatentur, *Christum secundùm humanam non esse religiosè adorandum, neqve eidem, ut Mediatori, adorationis cultum deberi.* Orthodoxia nostra patet ex locis Scripturæ innumeris, in qvibus familiam hæc ducunt. Phil. II. 9. 10. Christus homo dicitur accepisse ex gratia (non ergo de Deo intelligi potest) *nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu.* At hæc est descriptio adorationis soli Deo debitæ Esa. XLV. 23. Rom. XIV. 4. Adde Apoc. V. 12. 13. *Dignus est agnus mactatus, qvi accipiat virtutem & divitias & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. Sessori throni & Agno benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum.* Habes hic ἰσοτιμίαν. Idem demonstrat SICUT Johanneum cap. V. 22. 23. ubi habes naturam, secundùm qvam Pater dedit Christo potestatem judicium

judicium faciendi. Confer Visionem Danielis cap. VII. 14. Facessant ergò gradus adorationis & in malam rem abeant. Adde exempla Angelorum & Sanctorum qvi Christi carnem, non ut carnem præcisè (hoc enim fulmine divino Jerem. XVII. interdicitur) sed ut carnem λογωθεῖσαν καὶ θεωθεῖσαν religiosè adorarunt Joh. XX. 27. 28. Ebr. I. 6. &c. Deniqve sic concludimus: Si caro Christi in Cœna manducatur fide, utiqve in eam credendum. Si credendum, utiqve adoranda adoratione est soli Deo debita. At verum est antecedens, fatentibus adversariis. Ergò & consequens. Vid. Rom. X. 14. Joh. VI. 53. seqq. Rectè Augustinus in Psalm. XCIIX. *Scabellum est terra, & Christus suscepit terram de terra, qvia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et qvia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Inventum ergò est, qvomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed* PECCEMUS *adorando.* Hæc ille. *Qvisqvis negat, una adoratione venerandum Immanuelem, unam ei glorificationem dependendam juxta qvod Verbum caro factum est, anathema sit*, ut habet anathematismus IIX. Concilii Ephesini. In cujus defensione Cyrillus docet, *eum, qvi non dicat unicum Filium unica considentiæ*

fidentia honoratum esse, sed duabus, ita ut una propria tributa sit corpori, altera verbo, divellere unitatem Personæ. Adstipulatur Concilium Oecumen. V. *Si qvis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adoraverit, anathema sit.* Concil. Constant. V. Canone VII. censet, *eum, qvi duas introducit adorationes, disseparare naturas in Persona Christi.* Audiant hoc Adversarii, & totum Christum jam ἔνσαρκον absqve humana natura tanqvam ἄσαρκον ponere (totus enim Christus & totum Christi post incarnationem idem sunt) naturam humanam adjunctam Filii Dei facere (qvod nihil est aliud qvam tollere communicationem hypostaseos & humanitatem in actu completo & personali ponere ante unionem) unitatem adorationis negare (qva negata negatur unitas personæ & majestatis) duplicem religiosum cultum contra Scripturas, aliamq; cum Socinianis excelsiorem qva Deus, aliam inferiorem, qva homo sit colendus, fingere, objecta adorationis cum Nestorio multiplicare, attributa (inter qvæ est adorabilitas) cum apotelesmatibus confundere, deniqve cum Gilberto Porretano Episcopo Pictavensi, qvem seculo XII. Bernhardus & diversa Concilia damnarunt, cumq; Pontificiis λατρείαν & ὑπερδουλείαν defendere desinant. Notatu digna verba sunt, Cameronis Tom. III. Oper.

Oper. qq. ad Ebr. I. v. 2. *Christo adoratio debetur ob naturam divinam & ob officium mediatorium. Postquam enim Dei Filius idem homo est & Mediator noster, neque natura divina seorsim, neque humana natura seorsim considerandа est. Sed neque inter adorandum Christus, qui idem Deus & homo est, exuendus est officio Mediatoris atque ita à nobis considerandus nudè: sed ut Propheta, ut Sacerdos, ut Rex Ecclesiæ: actus enim adorandi cum unus sit, ista omnia conjunctim respicit in Christo. Si tamen fieri posset, quod omninò fieri non potest, ut qui Mediator est verè & propriè, idem non esset Deus, Mediator adorandus non esset, eò quod hic cultus merè divinus & religiosus est Deo debitus, non modo gradu, sed specie ab omni alio cultu diversus.*

§. XXIV. Superest idioma Officii Regii, Omnipræsentia. Quæritur, an Christus secundùm utramque naturam præsens gubernet omnia, sive, an Christus etiam secundùm humanitatem sit præsens omnibus creaturis. Calviniani audacter negant. Augustanæ Confessionis Theologi circa hoc punctum non sunt ejusdem sententiæ, salva tamen ἀδιαφορίᾳ & dominio secundùm utrumque cœlesti & omnipræsenti, atque sic salva hactenus dissentientium fraternitate. Sunt qui negant, Christum dicendum secundùm humanitatem omnibus Creaturis in regno potentiæ extra Ecclesiam esse præsentem.

sentem. Qvi tamen non negant infinita dona humanitati Christi esse communicata omnipotentiæ, omniscientiæ, subsistentiæ in verbo: non definiunt unionem per gestationem & sustentationem: non negant Christum, ubi velit, adesse posse, imò adesse corpore & sangvine in omnibus istis locis, ubi sacra Cœna administratur: deniqve non negant, Christum etiam secundùm humanitatem adesse dominio & operatione. Unde patet, immane, qvantum hos inter & Calvinianos discrimen intercedere. Dices, & hos agnoscere qvandam operationis omnipræsentiam. At hoc fieri neqvit stante hypothesi non communicatæ potentiæ infinitæ & majestatis divinæ. Hanc qvi agnoscit communicationem, fundamentum agnoscit omnipræsentiæ, & tale qvidem, cujus defensio atqve assertio necessaria est ad intelligendum sublimem articulum de sessione ad dextram Dei. Qvæ profecto non est definienda certo loco, nec capienda de potentia divina inferiori, aut duplex fingenda sessio ad dextram Dei, una, qvæ Deitati, altera, qvæ humanitati conveniat. Hæc enim Scripturis inaudita, extra qvas sapere non debemus, imò contraria Scripturis docentibus, eum, qvi formam servi suscepit, exaltatum & evectum esse ad dextram potentiæ Dei. Sed de his supra. Rectè judicat Doctiss. Schröder. Scept.

Scept. Regal. pag. 693. *Etiamsi quæstio de omnipræsentia Corporis Dominici nunquam fuisset mota, nihilominus tamen asserendam fuisse communicationem majestatis divinæ cum assumta carne factam, utpote sine qva sublimis ille & augustus articulus de sessione ad dextram Dei nec satis intelligi, nec sincerè explicari potest. Qvod & ideò facto opus erat, ut reprimeretur παυσρχία adversariorum, qvi punctum omnipræsentiæ qvæstionem particularem, cum Majestatis communicatione, cujus ambitu multo plura comprehenduntur, cupidè confundunt eodem carbone utramqve notant, & sub eodem ad invidiam excogitato nomine ubiqvitatis utrumqve insectantur & criminantur.* Hæc ille.. Nempe si non moviſſent Calviniani certamen de Præſentia Corporis Chriſti in Cœna, nunqvam fortè Lutherus ad alteram de omnipræſentia carnis Chriſti deveniſſet, altumq; ea de re fuiſſet ſilentium. Ipſi Status Imperii in Præfat. Form. Concord. fatentur, *nonnullos Theologos & in his ipſum Lutherum, cum de Cœna Dominica agerent, invitos etiam ab adverſariis ad diſputationes de Perſonali unione duarum in Chriſto naturarum pertractos eſſe*, &c. Vid. Chemnit. lib. de duab. Nat. cap. XXX. ſub finem, ubi commemorat *B. Lutherum*, cum multis argumentis de generali ubiqvitate diſputaſſet, poſtea cum animadverteret, in qvos labyrinthos Diſputationum controverſia ſacramentaria

taria abriperetur, & à Verbis Institutionis, qvibus præsentia Corporis & Sangvinis Dominici in Cœna traditur & promittitur, adduceretur, tandem in majori sua Confessione Consilium dedisse, qvia Disputatio illa pro simplicioribus non est necessaria, contra adversarios verò frustra & absqve fructu suscipiatur, ut contenti simus verbis Christi, qvibus in Institutione affirmat, hoc, qvod in Dominica Cœna adest, exhibetur & ore accipitur, esse suum Corpus. Qvod si qværatur, qvomodo hoc possibile sit, ac si objiciatur, hoc pugnare cum veritate corporis humani, ut simul sit in pluribus locis, B. Lutherus simplicioribus præscribit hanc responsionem: qvia Christus non nudus homo, sed verus substantialis & perfectus Deus & homo est in una inseparabili persona. Et qvia dextra Dei, ad qvam Christi Corpus collocatum est, ubiqve est, nec ullo loco circumscripta, conclusa & alligata. Ideò, qvia ipse de Pane Cœnæ Dominicæ dixit: Hoc est Corpus meum, sine dubio ipsum pro sua sapientia & omnipotentia, cujus nec modus nec finis nobis constat, facilè invenire posse modum, licet à nobis non intelligatur, qvomodo corpus ipsius simul sit in cœlo & in omnibus locis illis in terra, ubi Cœna Dominica juxta institutionem celebratur, cum utrumqve sit ipsius verbum. Hæc Chemnitius

ex Lu-

ex Luthero. Ex qvibus judicium fieri potest & de ortu hujus controversiæ, de omnipræsentia, qvam ubiqvitatem vocant, & de ejus necessitate. Non ergò est, qvod de moto vel veteri vel novo bello ubiqvitistis, glorientur Wendelinus aliiq;, qvi & inter Heshusium ac Wirtembergenses, & inter Giesenses atqve Tubingenses (hos omnipræsentiæ carnis Christi fundamentum statuentes ipsam incarnationem sive unionem personalem; illos verò contendentes, unionem personalem esse qvidem fundamentum remotum, proximum verò esse sessionem ad dextram Dei, si usurpationem plenariam acceptæ majestatis spectemus, & distingventes inter præsentiam intimam & personalem λόγυ & carnis intra se qvam in statu exinanitionis obtinuit, & præsentiam extimam θεανθρώπυ ad creaturas, qvam tum nondum obtinuit, sed demum per sessionem ad dextram Dei, qvæ est impletio omnium, cœpit) agitatas qvæstiones curioso oculo notant, atqve in emolumentum suæ Sectæ, nostrarumq; Ecclesiarum detrimentum convertere egregiè didicerunt. Saltem adjungant sese in aliis doctrinæ sanæ capitibus Ecclesiis Brunsvicensibus, Giesensibus, Wirtembergensibus, & rem totam fraternitatis, qvam anxiis votis expetunt, ex animi sententia confectam habebunt. Id qvod dudum publicè testa-

tus est Cl. Menzerus, cujus in Scripto Germanico (Rettung der Casselschen Friedens-Predigt) cap. XII. pag. 101. hæc sunt verba: Belangend der Braunschweigischen Kirchen und D. Chemnitii Gutachten / daß die Disputation von der Ubiqvität bey Seite gesetzet werde / wann Steinius in den andern Puncten mit denselbigen löblichen Kirchen & Scriptis Chemnitii einstimmen wird / wollen wir mit keinem Worte einige Molestie verursachen / dessen er sich gewißlich zu uns versehen soll. Verba Chemnitii sunt cap. cit. XXX. sub fin. pag. 205. ubi censet, *hanc Disputationem de generali Ubiqvitate præcidendam & ad alteram vitam differendam atqve seponendam.* Dixerat in prima editione lib. de duab. Nat. in Christo: *Qvoniam de generali illa Ubiqvitate & præsentia in omnibus Creaturis nec inter Veteres qvidem satis constat, nec ipsorum testimonia & sententiæ consentiunt, ideò in medio relinqvam: abundet qvisqve suo sensu.*

§. XXV. Sunt inter Augustanæ Confessionis Theologos magni nominis Viri, qvi in controversi de generali Ubiqvitate & affirmativa & negativa abstinent, hoc est, nec negant Christum secundùm humanitatem omnibus creaturis in regno potentiæ extra Ecclesiam esse præsentem, nec affirmant. Pluscula habet in hanc sententiam Vir celeberrimus deq; Ecclesia meritissimus Christophorus Scheiblerus in Disp. qvadam

qvadam de Persona Christi pro fidei simplicitate contra Calvinianos, habita Tremoniæ Anno 1641. §. 36. seqq. Non pigebit ea exscribere & hic qvoqve legere. Verba ejus hæc sunt: *Si speciatim qværatur de Ubiqvitate vel Omnipræsentia carnis Dominicæ ad qvasvis Creaturas, pro simplicitate fidei dixi tutissimum esse si qvæstio præcidatur, & ex vi istius præcisionis abstineatur ab affirmativa & negativa. Ita enim Apostolus docet à qvæstionibus* ἀπερίτοις *sine interminatis abstinendum esse. 1. Tim. I. 4. cujusmodi ista qvæstio facta est, qvæstionem ex qvæstione gignere. Et ad hunc modum multi ex nostris etiam præter Helmstadienses loqvuntur. Autores Apol. lib. Concor. cap. 9. fol. 171. Idiomate Germanico in Latinum verso sic loqvuntur:* Hanc abstractivam locutionem, substantia corporis vel carnis Christi est in omnibus creaturis, nunqvam usurpavimus, neqve eandem in scriptis nostris vel alias usurpare cogitamus. *Chemnit. de duab. Nat. in Christo cap. XXX.* p. 244. censet hanc Disputationem præcidendam & ad alteram vitam differendam atqve seponendam. Non tamen dicam, *inqvit*, Ipsum non posse corpore suo ubiqve esse. Et plenius *p. 255. seqq.* ubi etiam B. Lutheri consilium allegat, qvod Disputatio illa pro simplicioribus non sit necessaria & contra adversarios frustra & absqve fructu suscipiatur. *In act. Colloq. Qvedlinb. pro-*

ut extat apud Hütterum in Concord. Concord. cap. 45. fol. 307. fac. 2. ajunt nostri: se nolle de generali Ubiqvitate corporis Christi in omnibus creaturis disputare, qvia id in verbo in specie non sit manifestatum. *Mentzer. in obj. ad Martin. in init. Examinis Spicarum p. 233. edit. Gies. (in edit. Franc. est pag. 317.)* se nolle cuiqvam litem movere de omnipræsentia, sed hanc rem velle differre ad cœlestem Academiam, modo credat præsentiam in Sacramentis medio inimicorum & Ecclesia. *Iisdem ferè verbis loqvitur Chytræus in Epist. ad Hoffman. in Volum. Epist. fol. 765. & ad D. Casp. Eberhardum fol. 1258. &c. Imò ita censent etiam ex Calvinianis aliqvi. Nam sic Daniel Angelocrator in Epit. Concil. fol. 145. ex Synodis & Agendis Hassiacis (ubi utriusqve partis Theologos allegat fol. 132. 136.) ait* Disputationibus de Persona Christi emissis in concreto de Omnipræsentia ejus non autem in abstracto sermones habendos, hoc est, dicendum esse, Christus Deus & homo est omnipræsens, qvæ concretiva locutio est. Abstractivas autem, ut sunt: humanitas Christi est omnipræsens, humanitas Christi non est omnipræsens (non damnandas, sed) omittendas esse. *Et Steinius in defens. Con. Iren. cap. 13. idem contendit & allegato etiam Mylio nostro de re Sacrament. lib. 3. th. 45. & Tückermanno, qvi ex corpore doctrinæ Julio & Luthero idem docet hanc controversiam seponen-*

seponendam & præcidendam esse ait. Atque ita simplicitas fidei erit, si 1. credamus, Christum verum Deum & hominem (in concreto loquendo) nobiscum esse in terra. 2. & Christum secundùm humanitatem etiam nobiscum esse, ubi quoties & quando vult, prout apud Paulum contiget. An autem 3. secundùm humanam naturam omnibus locis adsit nec ne præcidendum & seponendum esse, quia id scitu non admodum necessarium est pro simplicioribus, propter fanaticos autem tractatu non modo supervacaneum, sed noxium & periculosum est, ut D. Mylius d. l. loquitur. Atque hoc etiam probat Censor Calvinianus dicens, simplicitati fidei optimè consultum esse, si in concreto, ut in Scholis loquimur, juxta tenorem Scripturarum permaneamus, atque ita etiam credamus, quod Christus verus Deus & homo sit nobiscum secundùm promissionem suam: quodq; secundùm humanam naturam sit nobiscum quando & quomodo velit. Id, inquit, libenter confitemur, quia hoc simplicitati fidei conforme est. Atque ex hoc sequitur etiam non esse omnipræsentiam carnis Dominicæ oppugnandam. Sic enim à concreto ad abstractum descenditur, & ad promissiones de Christo ejusq; præsentia adduntur restrictiones, quæ in verbo Dei non continentur. Indeq; præsuppositâ istâ simplicitate & quæstionis totius præcisione ad alterutrius partis argumenta respondere necessum non est, sed illis relinquendum est, quibus volupe est, simplicitatem

fidei utrinqve ad concretivas locutiones commendatam dimittere, prout natura Theologiæ Practicæ etiam in simili plurimarum qvæstionum Scholasticarum genere postulat. Hæc Scheiblerus.

§. XXVI. Sunt deniqve, qvi affirmant Christum dicendum secundùm humanitatem in regno potentiæ omnibus creaturis præsentem esse. Sed hoc rectè capiendum est. Primò non loqvuntur de Ubietate vel Ubiqvitate, qvæ à parte rei ipsa Dei immensitas & infinitas est, à parte autem conceptus nostri est immensitas cum connotatione ad omnia spatia etiam imaginaria. Hæc enim consistit in interminabilitate & extendit se ad spatia infinita, adeoq; illa qvoqve qvæ extra mundum sunt, estq; attributum Dei essentiale, absolutum & ἀνενέργητον. Nobis autem sermo est de attributo Dei ἐνεργητικῶ. Talis qvippe est omnipræsentia, qvam Scriptura non definit nuda ἀοιδιαστασία nullibi inclusa nullibi exclusa operationis vacua, sed præsentia ad creaturas efficaci & operosa. Qvomodo Deus Act. XVII. 27. 28 *non longè abesse* dicitur *ab unoqvoqve nostrum, qvia in eo vivimus, movemur & sumus.* Ubi intelligi non essentiæ tantum præsentiam verum etiam efficacitatem virtutis, omni dubio caret. Vid. Amirald. Exercit. in Orat. Dom. pag. 37. & pag 38. ubi hæc notat: *Quamvis ejus efficacitas in omnibus rebus sese eodem*

pacto

pacto & æqualiter non exerat, qvia non patitur multarum rerum conditio, ut vel vivant vel moreantur, omnibus tamen ex æqvo tribuit qvod sunt, qvod semel existentiam adeptæ, in ea conservantur, & qvod quæqve pro ingenio suo, vires & facultates suas in operationibus explicant, qvæ sunt cum earum natura consentaneæ. Hæc Amiraldus de Providentia universali omnium rerum in regno potentiæ. Adde, si placet, qvæ subjungit de Præsentia gratiosa & glorioſa. Deinde non loqvuntur nostri Theologi de omnipræsentia qvantitativa, diffusiva, expansiva, locali: hæc enim in Deum, qvi Spiritus est, non cadit. Unde consequitur, per communicatam omnipræsentiam humanam in Christo naturam non esse in omnia cœli & terræ loca extensam localitèr aut diffusam. Würtenbergenses in Scripto Germanico contra Hoffmannum excuso Tübingæ Anno 1589. pag. 94. Dicunt, affingi sibi qvasi doceant, daß Christi Leib mit der Gottheit an alle Orthe außgespannet/ und also alles mit Fleisch und Blut Christi erfüllet sey/ daß alles voll Fleisch/ Bein/ Haut und Haar Christi sey/ welches Gedichte wir allezeit in Abgrund der Höllen verdammet haben. Nempe sicut Deus non per sui partes, neqve per multiplicationem substantiæ aut per imaginis reflexionem ad loci partes commensuratur, sed modo imperscrutabili se omnibus creaturis præsentissimum illocaliter

exhibet, idq; non virtutis, verum etiam suppositi immediatione, sic & carnem Christi modo non naturali, sed imperveſtigabili & soli Deo noto creaturis omnibus præsentem esse credimus. *Tenendum*, inqvit Hütter. L. C. p. 180. *res creatas Deo non esse præsentes secundùm locorum spatia, prout ea in terris suis Διαστήμασι sine intervallis sunt distincta. Hinc enim in ipso Deo expansiva omnipræsentia statuenda esset. Verum sic cum res omnes sunt præsentes, tum ipse Deus rebus omnibus adest præsentissimus: qvatenus ipse infinita sua majestate divina omnia loca transcendens ac supergrediens omnia sibi habet & intuetur præsentissima extra & supra loci rationem, modo planè hyperphysico & divino: ita ut coram Deo haut major sit latitudo totius orbis terrarum, qvàm vel unus palmæ vel digiti. Jam ergò cum caro Christi intra illam æterni λόγυ infinitissimam ὑπόστασιν assumpta sit: utique non per localitatem aliqvam aut diffusionem de loco uno in alterum, de loco secundo in tertium, de tertio in qvartum, & sic deinceps, omnibus creaturis erit præsens: sed divino illo modo, qvi locum omnem transcendit: ut ei opus non sit, de uno loco extendi in alium, propterea, qvod in hac ὑποστάσει τῦ λόγυ, in qva caro hæc unicè subsistit, & extra qvam ne cogitari qvidem potest, nullus vel locus vel localitas regnat, sed potius loca ad unum omnia habent se ad infinitam τῦ λόγυ ὑπόστασιν veluti punctulum minutissimum.*

nutissimum. *Præterea qvælibet Natum in Christo etiam in unione duplicem obtinet respectum, naturalem & personalem. Priori respectu λόγος est à Patre genitus, posteriori passus. Caro secundùm naturalem respectum potest localiter esse in aliqvo certo loco, vel in aliqvo πῇ, qvemadmodum in statu exinanitionis verè de loco in locum est progressa, una in loco nata, passa, crucifixa, mortua, sepulta. Jam verò secundùm modum corporum clarificatorum est in cœlesti aliqvo πῇ. At secundùm respectum posteriorem caro sortitur alium modum essendi alicubi, nempe, PERSONALEM, qvo in ὑποστάσει τοῦ λόγου existens, simul extra & supra omnem loci & localitatis conditionem ubiq; τῷ λόγῳ adest præsentissima.* Hæc Hütterus.

§. XXVII. Ex qvibus manifestum est præsentiam carnis Christi non esse unius generis. Naturalis erat ejus præsentia, circumscriptiva visibilis & localis in diebus carnis & terrenæ conversationis. Glorioſa erat post resurrectionem & adhuc est in Ecclesiâ triumphante, in qva corpus ejus glorificatum in certo qvidem πῇ cœlesti est, non tamen localiter sed ad modum Angelorum definitivè. Atqve hoc tertiò notetur, nos, dum Omnipræsentiam carnis Christi urgemus, neqvaqvam docere, corpus Christi desiisse esse finitum & circumscriptum. *Scilicet duobus modis* (verba sunt Hütteri L. C. p. 126.) *Corpus*

dici potest circumscribi, vel loco forinsecus ambiente, vel propriis naturæ suæ finitæ terminis. Illa accidentaria circumscriptio est, & in resurrectione mortuorum tollenda; hæc verò essentialis & perpetua est, siquidem in ipsa quoque resurrectione & vita æterna corpora glorificata non erunt infinita, sed finita & essentiæ suæ finibus circumscripta. Proinde posteriori hoc sensu corpus quodlibet verum ac naturale, quin ipsum corpus Christi actu semper circumscribi, Calvinianis ultro concedimus, priore vero sensu simpliciter negamus. Idem Disp. VII. de Omnip. cap. post. Antith. 3. *Quatenus finitus Christus homo est, etiam est in suo πῦ.* Mentzerus contra Martin. p. 52. seq. *Augustinum* notat *ex proprietatibus corporis concludere absentiam Christi à terris. Idem,* inqvit, *ego confirmo: Corpus enim Christi in cœlo jam est, non in terris, visibiliter nimirum, exceptis apparitionibus extraordinariis* ut Act. IX. XXVII. Approbat ibi Mentzerus axiomata Augustini, Fulgentii, Vigilii: *Christus habet verum corpus & secundùm veri corporis modum seu per naturam carnis suæ est alicubi localis non ubiqve, non nusqvam.* Addit, *manere Corpus Christi finitum & circumscriptum, qvod qvisunqve negaverit, anathema esto.* Et pag. 76. Corpus Christi jam in cœlis existens, *esse* ait *non qvidem in loco propriè dicto, sed in πῦ cœlesti.* Schröd. Sceptr. Reg. p. 212. *veritatem naturæ humanæ etiam in eminentissima majestate*

ſtate & gloria tum qvoad animam, tum qvoad corpus docet, *& diſtingvit proprietates, qvæ ſunt corpori* Φυσικῶ καὶ πνευματικῶ *communes, cujusmodi ſunt, eſſe finitum, qvantum, habere partem extra partem, poſſe in loco eſſe, poſſe moveri, poſſe ſpectari, poſſe palpari &c. qvæ in ſtatu gloriæ manent, ab aliis proprietatibus, ut ſunt, eſſe mortale &c. qvæ non amplius manent in ſtatu gloriæ.* Idem pag. 620. *Corpus Chriſti,* ait, *cujus præſentiam in S. Cœna Lutherani credunt, non eſt infinitum & incircumſcriptum, ſed uti noſtrum corpus eſt finitum & circumſcriptum, circumſcriptione ſaltem interna. Nec eſt ita omnipræſens, qvin ſicuti noſtrum corpus ſecundùm veri corporis modum localiter etiam ſit præſens.* Ex his patet, malè formari ſtatum controverſiæ à Calvinianis, cum qværunt, an natura Chriſti humana ſit ubiqve localiter: *Localem enim Ubiqvitatem pariter nos cum Calvinianis deteſtamur*, inqvit Mentzerus in Martin. Elench. p. 14. Et injuriam maximam nobis faciunt Calviniani, cum Eutychis errores nobis affingunt. Hic enim docuit, Dominum noſtrum ex duabus conſtitiſſe naturis ante unionem, poſt unionem verò, unam tantum in illo naturam eſſe: nec corpus Domini nobis conſubſtantiale eſſe, Evagr. lib. I. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. Qvisqvis negaverit corpus Chriſti in unione & gloria manere finitum & circumſcriptum, per

nos

nos Eutychianus & Anathema esto. Qvanqvam verò ad eum modum hæc se habeant, & corpus Christi tum in exinanitionis tum in exaltationis statu manserit finitum & circumscriptum, non tamen ita Christus homo consedit ad dextram Dei & secundùm naturam humanam in regno potentiæ Rex cœli & terræ factus est, ut absens & immenso intervallo remotus omnia gubernet, & inprimis ut absens Ecclesiam regat, tueatur, ornet. Absit verò! Qvia *humanitas* (verba sunt Magni Chemnitii loc. cit.) λόγῳ *unita & cum* λόγῳ *omnibus dominatur, non ex longinqvo aut immenso intervallo absens seu per vicariam operam & administrationem, sicut Reges solent, qvando ipsorum imperium per multas & longinquas provincias latè extenditur: sed sicut in* λόγῳ *subsistit, etiam qvatenus* τῷ λόγῳ *personaliter adhæret, in* λόγῳ *omnia coram se præsentia habet, & omnibus dominatur* ὡς τῷ λόγῳ. Fundamentum qvidem omnipræsentis dominii est omnipræsentia unionis, qvam vocant, sed illa cum hac non est confundenda. *Bifariam*, ut docet Schröd. lib. cit. p. 695. *usurpatur vocabulum omnipræsentiæ, cum de præsentia assumtæ naturæ est sermo: uno modo, qvo illa salva sua veritate, finitate & localitate dicitur omnipræsens, qvatenus* τῷ λόγῳ *ubicunqve sive in cœlo sive in terra is adest, conjun-*

ctior

ctior est creatum quacunque alia, dicitur omnipræsentia τῦ λόγυ, unionis &c. altero modo, quæ salva veritate sua rebus creatis dicitur esse præsens, quatenus non solum in hypostasi λόγυ omnipræsenter subsistit, sed etiam per operationes divinas, quarum per unionem & exaltationem κοινωνὸς facta est, omnipræsenter res universas sustentat, conservat & gubernat. Dicitur alias omnipræsentia ratione creaturarum, item omnipræsentia ὑπερυψώσεως & exaltationis, eò quod nitatur exaltatione illa, per quam caro assumta sedet ad dextram Dei. Hæc Schröderus dilucidè exponens differentiam inter præsentiam intimam sive ad intra, quam vocant, & extimam sive ad extra. De illa notari merentur verba Danhaweri Hodos. pag. 493. *Ubi unum est unitorum, ibi etiam est alterum SIBI & suo unito, non item aliis extra unitum præsens. Caro est præsens λόγῳ Athenis, non item est præsens Athenis.* De hac Mentzerus cont. Martin. p. 426. sic scribit: *Scriptura describens cœleste & divinum Christi hominis imperium, atque cœli & terræ, inprimis autem Ecclesiæ gubernationem ejusmodi nobis JESU CHRISTI ad dextram Majestatis exaltati omnipræsentiam commendat, quæ potissimum in regendo orbe omnipotentia, in propugnanda & exornanda Ecclesia divina gratia, in puniendis hostibus infinito robore & justitia definitur. Rectè dicere possis omnipotentem præsentiam & omnipræsentem potentiam*

tentiam. Atqve hoc ultimo prænotandum esto, de omnipræsentia Hominis Christi nos agere non in statu Exinanitionis, sed in statu Exaltationis post adscensionem, in regno nempe potentiæ & gratiæ.

§. XXVIII. Et in regno qvidem gratiæ præsentem esse Christum Deum & hominem clamant loca Matth. XIIX. 20. XXIIX. ult. Secundùm qvam naturam pii in cordibus Christum invocant & in eum credunt, secundùm eam etiam ipse præsentiam suam promisit. Nomen qvippe Christi utramqve designat naturam. Jam in nomine Christi, hoc est, mandato ejus & cum invocatione & fiducia in ipsum ut Salvatorem & Mediatorem pii conveniunt. Necessum ergò est, ut huic piorum fidei promissio & eventus respondeat. Pulchrè Bernhardus: *Adest, sed latet. Stat in medio nostri & non cernitur à nobis. Credimus*, inqvit Form. Concord. p. 783. *superioribus Scripturæ testimoniis Majestatem hominis Christi declarari, qvam Christus secundùm suam humanitatem ad dextram Majestatis & virtutis Dei accepit: ut videlicet etiam secundùm illam suam assumtam naturam & cum ea præsens esse possit, & qvidem præsens sit*, UBICUNQVE VELIT. *Præsertim verò sentimus, eum Ecclesiæ suæ in his terris ut Mediatorem, Caput, Regem & summum Sacerdotem præsentem esse. Non autem dimidiatus*

tantum

tantum Christus aut unâ duntaxat ejus pars Ecclesiæ præsto est, sed tota ipsius persona. Ad eam autem pertinent ambæ naturæ, divina & humana: quare tum præsentem habemus non tantum secundùm divinam verum etiam secundùm assumtam humanam ejus naturam: juxta qvam Fraser noster est, & nos caro sumus de carne ejus, & os de ossibus ejus. Et sanè in hujus rei confirmationem sacram suam Cœnam instituit: ut testaretur, se etiam secundùm eam naturam, qva carnem & sangvinem habet nobiscum esse, in nobis habitare, operari & efficacem esse velle. Hæc Form. Concord. rectissimè. Christus ipse Joh. VI. 56. ait: *Qvi edit carnem meam & sangvinem meum bibit, in me manet & ego in ipso.* Qvi hic impossibilitatem causantur, cogitabunt, *apud Deum non esse impossibile ullum verbum, & Deum posse abundanter majora facere qvàm nos mente concipere possumus.* Eph. III. 20. Adde locum Apoc. I. 13. ubi habes picturam Christi secundùm humanam naturam. Unde consequitur, eam à præsentia gratiosa, qvâ Ecclesiam dignatur, neqvaqvam excludendam esse. De præsentia Christi hominis in regno potentiæ manifesta sunt loca Eph. IV. 10. Psalm. CX 2. In priori dicitur Christus implere omnia idq; secundùm eam naturam, secundùm qvam infera & supera adiit atqve occupavit, de qvibus præcessit. Dices: nihil aliud intelligi, qvam Christum

Christum impleviſſe Eccleſiam donis, de qvibus in textu ſeqvitur. Reſp. & ſupra & infra ſcripta hic junctim attendenda eſſe. Univerſaliter dicuntur τὰ πάντα, qvæ non poſſunt reſtringi ad Eccleſiam, qvanqvam benè fiat applicatio ad Eccleſiam. Qvi enim omnia implet in omnibus, is etiam implet Eccleſiam donis. Qvod autem ad ſolam Eccleſiam non poſſit reſtringi, liqvidum eſt conferenti cap. I. verſ. 21. 22. ubi univerſale Chriſti ſecundùm humanitatem exaltati in omnia etiam ipſos Angelorum ordines dominium habet. Benè Oecumenius: *Nuda qvoqve divinitate olim omnia implebat. Et incarnater, ut omnia cum carne impleret, deſcendit atqve adſcendit.* Et Theophyl. *Ut omnia impleat dominatione operationeq́, idq́ in carne, qvandoqvidem divinitate jam ante cuncta compleret. Hæc autem adverſus P. Samoſatenum & Neſtorium ſunt.* Neſtorii vox eſt: λόγον extra carnem eſſe. Qvo poſito, ſeqvetur vel totum λόγον vel partem ejus extra carnem eſſe. Poſterius dici neqvit: qvia in Deo non ſunt partes. Nec prius: ſic enim dabitur λόγῳ ἄσαρκῳ, qvod impium. Neqve valet, ſi dicam, ſic eſſe divinitatem in carne, ut ea non includatur, proinde eam qvoqve extra carnem eſſe. Nam & immenſitas atqve æternitas ſic in λόγῳ eſt, ut eo non includatur: nec tamen ſeqvitur extra λόγον eſſe.

Pſalm.

Psalm CX 2. Christus dicitur *dominari in medio inimicorum*, idq; secundùm eam naturam, secundùm qvam consedit ad dextram Dei. Nulla enim ratio produci potest, qvæ evincat, intelligenda de Christo secundùm divinitatem tantùm hæc esse. Qvin rationes suppetunt validissimæ, intelligenda hæc qvoqve de Christo homine esse. Nam & verborum proprietas atqve dictorum virtus id postulat, & flagitat ratio officii Regii, cujus actiones sunt utriqve naturæ communes. Finge hominem Christum absentem & remotissimum dominari in res omnes, qvibus administrandis præsidet, utiqve non jam gubernabit omnia pro ratione dextræ Dei, sed pro ratione regnorum mundanorum, & peribit dominium divinum, qvippe qvod non est absentis, sed præsentis. Dices: pugnare Ubiqvitatem cum adscensione Christi Ebr IIX. Act. III. 21. &c. Respondemus, cum Ubiqvitate nobis nihil est commercii. *Constat*, inqvit Hutterus in Form. Concord. p. 823. *vocabulum Ubiqvitatis primitus excogitatum fuisse à Zwinglianis, imprimis verò ab Henrico Bullengero & Petro Martyre, & qvidem ad conciliandam invidiam doctrinæ nostræ de Majestate Filij hominis, qvasi statueremus, corpus Christi omnibus in locis localiter expansum & omnibus lapidibus, lignis, cantharis cerevisiariis & id genus rebus ac locis impuris inclusum esse. Qvod ipsum*

monstrosum & horrendum dogma pari criminandi libidine Censores etiam isti nobis affingunt &c. Nos verò, qvi à sensu vocabuli hujus toto pectore abhorremus: ipsi qvoqve vocabuli hujus usui tamdiu nuncium meritò remittimus, donec saniorem sensum & intellectum illud apud Adversarios sortitum fuerit. Pari ratione vocabula Græca παντοχουσίας *item* παντοποιίας *& id genus voces alias, qvippe neqve Scripturis, neqve puriori Ecclesiæ cognitas ex nostris Ecclesiis simpliciter relegamus.* Qvod attinet objectionem de adscensu Christi resp. Cl. Dorsch. Pentadec. disp. XV. §. 31. *Ponamus per cœlum finitum* πῦ *intelligi, distingvamus autem inter* πῦ, *ubi ad sessionem Christus admissus est, & inter ipsum actum sessionis ad dextram Dei. Potuisset Jesus sine* ἀναβάσει *introire in gloriam suam, occupare thronum suum, si Deo Patri suo placuisset. Placuit verò solennibus qvibusdam gradibus ipsum recipere in illud fastigium, qvod non finitam, sed infinitam habet altitudinem. Sicut etiam discrimen faciendum est inter* πῦ *receptionis humanæ naturæ in substantiam* λόγου *& inter ipsum actum subsistendi.* πῦ *receptionis est finitum, sc. B. Virginis viscera. Actus autem Personalis finitus non est, sed infinitus. Sic & actus sessionis non est tantum ad cœlos, sed & ad omnia objecta mundi visibilis & invisibilis, licet sit facta in cœlis receptio ad illum actum. Dicendum*

tamen

tamen est, illa ἐπουράνια, in quibus considere ipsum fecit Christum Deus Pater, non esse solum finita. Considere namque ipsum fecit τὰ ἐπουράνια absolutè & cum exaltatione supra omnia finita ἐπουράνια Eph. I. IV. Ergò in ἄνῳ τ ἐπουρανίων, quod est thronus Dei, qui ita in cœlis est, ut ubique sit. In loco Ebr. IIX. 4. nihil aliud dicitur, quam hoc: sita in terris esset, sicut Levitici Sacerdotes, in externo & terreno Sacerdotio, ne quidem Sacerdos esset, quum alii ibi sint Sacerdotes, qui secundùm legem in tabernaculo taxeo offerant donaria & victimas terrenas. Act. III. 21 non dicitur Christum cœlo capi; sic enim dicendum fuisset, ὃν δεῖ δέξασθαι ὑπὸ τ οὐρανῦ: sed dicitur Christus cœlum occupasse, sicut Rex occupat Regnum. Quomodo & Græci δέχεσθαι τὴν ἀρχὴν, ὐκ δέχεσθαι τὴν ἀρχὴν, ἐνδέξασθαι τὴν βασιλείαν dicunt. Nuspiam τὸ δέχεσθαι in N. T. passivè usurpatur de locali receptione. Benè Oecumenius notat, non dixisse Petrum ὅτι ὁ οὐρανὸς ἐδέξατο Χριστὸν, sed vice versa ὅτι ὁ Χριστὸς ἐδέξατο οὐρανὸν. Consentit Aretius, qui sic explicat: *Cœlos capere est ex plena potestate cœlum occupare.* Dices: obstare verba ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως & Symboli: inde venturus est. Sed hæc verba non evincunt inclusionem. Contrarium testantur apparitio-

nes Christi hominis in terris post adscensionem factæ. Potest particula ἄχρι accipi sine termino ut Psalm. CX. 1. &c. qvod & Nazianzeno placet Orat. 2. de Fil. Cum Christus in Symb. Apost. dicitur, inde venturus est &c. Sensus non est, eum relicturum esse cœlum majestaticum vel dextram Dei, sed hic est sensus: sicut visibiliter ad cœlum adscendit & nunc invisibiliter omnia gubernat, ita visibiliter reversurus se exhibebit omnibus conspiciendum. Act. I. 11. Unde adventus Christi ad judicium vocatur ἐπιφάνεια I. Tim. VI. 14. II. Tim. IV. 1. II. Thess. II. 8. ἀποκάλυψις I. Cor. I. 7. φανέρωσις Col. III. 4. I. Pet. V. 4. Neqve enim hic subsistendum est in cogitationibus de cœlo beatorum, qvod esse nemo dubitat: qvale autem sit & ubi sit nemo non ignorat. Adversarii dicunt esse finitum & creatum locum supra firmamentum stelliferum, & eo ferri animas beatorum opinantur per ingentia spatia. Longè melius Augustinus de cognit. ver. vit. cap. XXIV. *Qvod animæ sursum ad cœlum ferri affirmantur, vel etiam inferri putantur, ad visum nostrum dicitur, quibus superiora splendore Solis lucidiora noscuntur, & quod aliter res non potest cognosci ab his, qvi sunt adhuc in carne. Solutæ autem non loco moventur, nec ad aliqvem locum corporeum ducuntur, ut inde Deum contemplentur, sed mox à corpore seqvestratæ angelis &* san-

& sanctis associantur & regno cœlorum, quod est visio Dei intra mundum, & extra & undique sine morâ fruuntur, sicuti cœcus in Sole positus, si ejus oculi aperirentur, confestim luce Solis fueretur. Porrò frivolum videtur, si animæ illocales de hoc mundo extra firmamentum duci asserantur quasi ibi sit pulchrius vel magis ibi sit Deus, cum supra & infra, intra & extra æqualiter esse non dubitetur, & ejus visio ubique justis adesse æqualiter comprobetur. Et lib. II. de Serm. Domini in monte cap 9. *Si in cœlis tanquam superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quàm anima est Deo vicinior.* Christum in cœlo beatorum substitisse negant Scripturæ quoties *profectum esse super omnes cœlos & sublimiorem cœlis* docent *consedisse ad dextram Dei* Eph. IV. 10. Ebr. IV. 14. IIX. 26. Quæ verba nihil cum locis creatis commune habere, ipse vidit Gvaltherus Tigurinus in not. ad Psalm. 110. Durch dieſe Rede/ ſetze dich zu meiner Rechten/ wird angebildet/ daß CHriſtus wahrer GOtt/ und eines Gewaltes/ und gleicher Herrligkeit mit dem Vater ſey/ in welche er auch ſeine angenommene Menſchheit/ nach ſeiner Aufferſtändnüß/ auffgeführet und geſetzet hat. Adde Catechiſmum Tigurinum cœlum Dei majeſtaticum ſic deſcribentem: Durch den Himmel verſtanden wir/ das unbegreiffliche Liecht/ in dem GOtt wohnet/ zu dem niemand ſich nahen mag/ dannenhero CHriſtus zu uns kommen iſt/

dahin Er auch wieder gegangen ist / und in die unsichtbahre Herrligkeit und Klarheit GOttes. Der Vater hat Ihn aufferwecket von den Todten / und hinauff genommen in den Himmel / nicht der Gottheit nach / dann also ist Er allewege im Himmel gewesen / sondern der Menschheit nach / dann seine wahre Menschheit / der umb unsert willen angenommen hat / ist auß dieser Welt in die unsichtbahre Ehr und Herrligkeit / in das unbegreiffliche Liecht / in die vollkommene Miessung der Gottheit geführet und auffgenommen. Eadem habet Marloratus ex Calvino super cap. XXVIII. Matth. *Cœlum*, inqviens, *in qvod Christus adscendit, invisibilis Patris gloria est & inaccessa divinitatis lux.* Qvare cœlum ipsis Adversariis fatentibus non tàm locum designat qvam gloriæ cœlestis statum.

§. XXIX. Ex iis, qvæ hactenus posita patet, nihil nos asserere pugnans cum Scriptura & Antiqvitate. Verissimum est manetq́; illud August. Epist. ad Dardan. *Secundùm hanc formam* (humanam naturam) *non est putandus ubiqve diffusus: cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut, qvod in Deo est, ITA sit ubiqve ut Deus.* Hæc ille. *Neqve enim omnipræsentia carnis substantiali impletione, sed divina dominatione & operatione in Nomenclatum* sacra describitur, Affelm. disp. Apolog. de omnip. contr.

contr. Lampad. thes. 32. Rem totam omnipræsentiæ accuratè explicat Vir nostra laude major D. Phil. Nicolai, qvin modum qvoqve convenientissimum & facillimum sopiendi totam hanc controversiam proponit. Duo in hanc rem loca Viri beatissimi producemus, allatura lumen rei nonnihil obscuræ. Prior locus occurrit Synops. artic. de omnipræs. Christ. cap. IV. pag 440. *Si tibi personalis unio cum Deo verbo intercederet, geminus in te esset λόγος, alter æternus, divinus immensus atqve increatus, & alter finitus, humanus atqve in tempore factus. Jam si Lugduni in Batavia habitares, & insigni cuipiam assideres Cosmographo: Conciperes animo, sive λόγῳ tuo humano totius Mundi, cœli terræq; ideam: conciperet & ille: Hucusqve pares essetis, nisi qvod animus tuus longè foret solertior, perspicatior & acutior animo assidentis Cosmographi. Præterea non potest Cosmographus ultrà conceptas animo suo ideas & simulachra altius assurgere, cum nudus sit homo: At si in te λόγος æternus personaliter habitaret (qvi omnes creaturas in se ipso illocaliter continet) hic certè animus ille tuus humanus ex unione hac personali, ultra humanam imaginationem altius ascenderet & ad lucem Dei inaccessam (qvam λόγος æternus inhabitat & qva creaturas omnes instar puncti admirabiliter in se ipso circumscribit) intromitteretur. Videres in sacratissima illa & abditissima*

luce non evanidas species aut ideas, sed ipsum hoc cœli terræq; opificium, cum omnibus quæ in eis sunt, tibi instar puncti & apicis illocaliter præsentissimum, paterentq; tibi in eadem luce omnium regionum loca, situs, populi, arbores & omnes omnium angelorum hominumq; cogitationes, ut de omnibus facilè possis disserere. Cedo autem, num talis omnipræsentia ad ullam carnis tuæ distractionem, vel ad ullam ejus localem dilatationem & per cœlos terrasq; corporalem expansionem vel multiplicationem vergeret? Imò convinceris explicati mysterij perspicuitate, nihil πανταπαρουσίαν istam tuo ob futuram corpori, qvin salva illud veritate & circumscriptione sua, localiter nusqvam, nisi Lugduni tantum consisteret. Jam si datum hoc exemplum intelligenter assequeris, mentem propositionis nostræ majoris assectatus est, nec de certitudine ejus qvicqvam dubitabis. Major hæc erat: Qvicqvid æterno Dei λόγῳ per nexum hypostaticum omnipræsenter unitur, hoc & creaturis (qvæ in Deo λόγῳ illocaliter existunt) omnibus mediante hoc nexu illocaliter adest. Atqvi caro Christi &c. Alter locus extat cap. XII. pag. 465. *Ut videant* (Calviniani) *qvam non simus animo erga ipsos malevolo, non dubitabo illis viam ineundæ consensionis per oportunam commonstrare. Recognoscant illa Theodori Bezæ verba, in Apologia 3. contra D. Selneccerum fol. 33. ubi scribit:* Præesse sanè reliqvis creatis rebus assumptam illam naturam, data etiam

ipsi

ipsi in se ipsa, ista in cœlo & in terris potestate, ac proinde etiam omnibus inenarrabilibus donis ad eam exercendam administrationem spectantibus cumulatam, minimè negarim. *Et:* Largiar, omnia creata illius oculis patere, & omnia Christo etiam homini præsentia esse qvatenus hypostaticè cum ea natura cohæret, qvæ ubiq; est. *Ponderent insuper & acceptent illa Zanchi sui verba lib. 2. de natura Dei cap. 4. ubi diserte & significanter ait:* Hoc verò propter unionem hypostaticam, ego libentissime concessero, qvo sensu nos, propter unionem, qvam habemus cum Christo, dicimur esse, ubi & Christus, sedere nimirum in cœlestibus & justissimi esse atqve sanctissimi, sicut & Christus, nempe non reapse in nobis ipsis, sed in Christo capite, cui sumus conjuncti: eodem etiam sensu humanam Christi naturam, esse summe sapientem, summe & infinite potentem, immensam & ubiqve præsentem: nimirum ἐν τῷ λόγῳ, non realiter se ipsa. Hoc certe sensu, eo verius dicetur illa natura in λόγῳ esse omnipotens & omnipræsens qvàm nos in Christo justi: qvo etiam major est unio illi⁹ naturæ cum λόγῳ, qvam nostri cum Christo, qvæ tantum est per fidem, perq; ejus Spiritũ, non autẽ hypostatica. Sicut enim Deus dicitur passus, non in seipso, sed in carne, qvâ cum erat & est conjunctus: sic contra recte dici pot-

est humana Christi natura omnipotens & immensa, atq; ubiq; præsens: verum non sua essentia & in se ipsa, sed in λόγῳ, qvo cùm hypostaticè conjuncta est: & qvatenus, qvod ὁ λόγος proprium est ac naturale naturæ etiam humanæ imputatur, perinde atqve si reapse talis & ipsa esset, & tale qvid in se ipsa proprium haberet: Nam eodem sensu, Christus etiam sedens ad dextram Patris, dicitur esurie & pati in membris suis: Unde illud, Saule qvid me persqveris? *Idem in epistola contra libellum Arianum præfatoria ad Johannem Sturmium*: Accessit tertia explicatio, qvæ ideo me minus offendit, qvia ex Patribus desumpta est, modò, sicut illi, sic etiam nos eã intelligamus. Ea hæc est: Communicationem hanc ita esse factã, ut humana natura vere & omnipotens, & ubiq; præsens esse dicatur, non in sese (hoc est, in sua οὐσία) sed in persona. Sed hic rursus suboriebatur qvæstio: qvid nomine personæ intelligant Adversarii? Si enim persona ὁ λόγος intelligatur, qvæ etiam hypostasis est humanæ naturæ: nihil ea doctrina certius est. Qvid enim hoc aliud fuerit, qvam λόγον hominem omnipotentem & ubiq; præsentem esse? Qvis vero hoc inficietur? *Diligenter hæc omnia volvant & revolvant Calviniani, simulq; nostræ unionis cum Christo spiritualis meminerint,*

nerint, cui tantam adscribunt efficaciam & operationem, qua homo Christianus simul & in terris & in cœlo, respectibus diversis existere queat : nimirum corporaliter in terris, & supernaturaliter sive spiritualiter simul in cœlo. Amplectimur hæc omnia, & hinc ego septem consensionis capita deducam, quibus si adstipulentur, optata nobis erit ad annosi dissidij compositionem læta & amicam parata via. Primum. Si potest homo Christianus ex unione sua cum Deo pnevmatica simul supernaturaliter esse in cœlo, dum corporaliter est in terris: jam concedant nobis Calviniſtæ, qvod igitur & Christus secundum suam carnem (dum naturaliter tantum est in cœlo) ex unione duarum naturarum hypostatica, simul esse qveat supernaturaliter in terris, ubicunq; locorum Cœna Dominica administratur. *Deinde* agnoscant & confiteantur cum Zanchio suo, humanam Christi naturam esse ubiq; præsentem non in se ipsa, sed ἐν τῷ λόγῳ, qvo cum hypostatice est conjuncta. *Tertio*, ut modus constet, qvo Christi humanitas sit in λόγῳ omnipræsens: addant ex Theodoro Beza, & cum ipso fateantur, qvod oculis etiam hominis Christi pateant omnia creata & omnia sint præsentia. Nam hæc & non alia est ubiqvitas, qvam in nostris docemus & profitemur Scholis & Ecclesiis. *Quarto:* cum hucusq; deventum fuerit, ut antecedentia nobis

bis illa sint largiti; tum porrò tropis duobus, metaphoræ, scilicet, & metonymiæ, in verbis Cœnæ (qvæ hactenus controversa fuerunt) valedicant, & nobis cum τὸ ῥητὸν amplectantur. Sola qvippe παντοπαρξίας carnis Christi impugnatio rixosam illam troporum ingestionem peperit: Ideoq; jam sublata causa, recte etiam tolletur effectus. *Quinto:* Removeant & metaphoram ex voce Implendi, ubi Christus supra omnes cœlos elatus, omnia replere scribitur Ephes. 4. cumq; Oecumenio & Theophylacto, impletionem illam ad carnis Christi παντοπαρξίαν referant. Vident enim ex Bezana & Zanchana παντοπαρξίας concessione, qvomodo congrue & non inepte dictum illud ad literam intelligi possit. *Sexto:* Indubitanter cum Zancho statuant, nobisq; conedant: cum propter unionem (qvam cum Christo habemus) spiritualem, simus & dicamur justissimi & sanctissimi, non nobis ipsis, sed in Christo capite, cui sumus conjuncti: multo magis humanam Christi naturam ex ejus, cum Deo, unione hypostatica, infinite sapientem & omnipotentem esse, idqve non in se ipsa naturaliter, sed personaliter in λόγῳ. Et cum Christus per unionem cum Ecclesia sua spiritualem, nobis justitiam & sanctitatem suam non imaginarie vel verbotenus

nus tantum, sed verè & cœlesti modo communicet. Ideo Deum λόγον ex unione sua hypostatica cum assumpta carne, multo magis infinitam suam sapientiam & omnipotentiam, carni isti suæ realiter communicasse largiantur. *Denique septimo*, notum ex unione spirituali (qvæ sanctis fidelibus cum Christo intercedit) Deum magna & mirabilia multa per sanctos operari, convertere peccatores, destruere Regnum Satanæ, illuminare multorum hominum mentes, vincere mundum &c. qvæ propriè soliùs Dei sunt opera. Qvod si hoc præstat unio Dei & sanctorum fidelium pnevmatica, concedant multo magis ex unione duarum Christi naturarum hypostatica, Deum λόγον infinitæ Deitatis suæ opera, in, cum & per assumptam carnem exercere. Et cum abstractivæ locutiones ex unione pnevmatica deductæ nihil habeant vitii, cum legimus, qvod fides nostra vincat mundū, qvod Paulus converterit gentes, qvod credenti omnia sint possibilia &c. Ideo & ex unione hypostatica illas de Christi carne locutiones abstractivas admittant, qvod videlicet, caro Domini sit omnipotens, omniscia, omnipræsens, vivifica &c.

§. XXX. Et hæc de secundo genere communicationis sufficiant. Ad tertium progredimus, ubi disceptatur, an in operibus officii caro operetur

retur supra naturales vires Negant id Calviniani contendentes, *Christum sua humanitate non exaudire omnes, non servare omnes, non dare Spiritum Sanctum: Solius hæc divinitatis propria esse, adeoq; homini Christo convenire, non quàm homo sed quà Deus est: negant, Christum humanitate sua portare omnia: negant, carnem Christi operari ad vitam æternam negant, Deitatem exercere totum opus vivificationis & mundationis per humanitatem: negant, carnem Christi vivificare efficienter: negant, probari posse, Johannem loqui de expurgatione peccatorum, cum inquit*, sanguinem Christi nos emundare &c. Vid. Admonit. Neostad. pag 79. 253. 271. 273. seqq. Summa, docent, carnem Christi nihil infinita virtute agere: carnem Christi esse tantum organon eorum operum, qvæ sunt Deitatis infinitæ, tanqvam causæ principalis, nec obtinere aliam qvam instrumentalem & finitam virtutem: divinam divina solum agere, humanam qvæ hominis sine communione ἐνεργειῶν, adeoqve carnem non concurrere effectivè ad opera divina, eo qvod tantum vires habeat finitas &c. Nos operari carnem Christi & activè concurrere in operibus officii Mediatorii super naturales vires statuimus, nostramq; orthodoxiam disputatis & evictis superstruimus. Si enim verè participat humanitas Christi de Majestate & gloria Dei, seqvitur, eam per communi-

municatam majestatem agere. Atqvi verum est prius. E. Majoris connexio clara est. Eum enim in finem communicata fuit gloria & plenitudo majestatis divinæ, ut humana natura apta esset ad exercenda opera Mediatoria, Prophetica, Sacerdotalia, Regia. Neqve enim secundum divinitatem solam, ut Osiander, neqve secundum solam humanitatem, ut Stancarus sensit, sed secundum utramq; naturam Christus opera peragit Mediatoria. Id qvidem fatentur Adversarii, sed sic explicant Bellarminum secuti: *solam divinam naturam opus Mediationis præstare efficienter, humanam naturam meritorie tantum.* Nempe secundum ipsos, homo præstat, qvod suum est patiendo & moriendo: id ex pacto Deus reputat pro merito: ex pacto, inqvam, qvum merito absoluto Christus nihil potuerit mereri. Qvæ ita sunt comparata, ut ab iis recensendis mens pia abhorreat. Expresse enim scriptura testatur, *sanguinem Jesu Christi mundare à peccatis* I. Joh. I. & *reconciliare cum Deo* Rom. V, 9. 10. Ubi agere carnem virtute communicata & infinita manifestum est, eo qvod natura humana à peccato mundare suis viribus neqveat. Est enim hoc proprium divinitatis. Neqve est, qvod dicas, *hic esse Synedochen.* Nullus enim Rhetorum tradidit Synedochen, ut aliqvid de una parte v. 9. humanitate & sanguine præ-

ne prædicetur, attribuendum toti personæ; & rursus per aliam Synedochen tribuatur alteri parti & naturæ v. g. divinitati. Tales Synecdochæ partis pro parte sunt confictæ & inauditæ. Qvi dicunt, *sanguinem Christi mundare merito, non autem efficacia*, qvid dicant nesciunt, imo sua vincta cædunt. Nam & merito mundare infinitam supponit virtutem, adeoqve & meritum infiniti valoris excedit humanas vires, secundum ea, qvæ supra diximus §. 21. Cæterum, qvod efficacia qvoqve sua mundet, patet inde, qvod sanguine illo dicamur reconciliati, justificati, salvati, peccata expiata, Satanas, infernus & mors devicta. Matth. XIIX, 11. Rom. V. 9. 10. III, 25. I. Tim. II. 5. Ebr. II. 14. &c. Dices, *esse efficaciam instrumentalem, qualis est calami scriptorij*, Resp. etiam instrumenta viva & efficaciter concurrentia habere communicatam virtutem causæ principalis sicut corpus agit virtute animæ communicata. Eadem ratio est verbi divini. Calami scriptorii nullus est concursus activus, neqve sine blasphemia calamo scriptorio caro Christi assimilari poterit. Caro Christi vivificat merito, ut largiuntur Adversarii. Non ergo tantum causa instrumentalis, verum etiam meritoria est. Virtus agendi merè organica & subordinata finita potentia effectus merè divinos vere & realiter producere neqveunt. Modus

dus agendi organicus dici potest, sed non virtus. Ut autem tertium hoc genus communicationis idiomatum tanto melius intelligatur ex Damasceno lib. III. cap. 15. distingvenda I. Principium ut Qvod sive subjectum operationis, ὁ ἐνεργῶν, qvæ est Persona. Actiones enim sunt suppositorum, nempe ultimo ab iis denominatorum. II. Principium ut Qvo, τὸ ἐνεργητικὸν, qvæ sunt duæ naturæ Christi unitæ. III. Ipsa operatio ἐνέργεια θεανδρική, qvæ distingvitur respectu actus naturalis, sed una est, si actum spectes personalem. Agit enim unumqvodq; in qvantum subsistit. Jam subsistunt naturæ in una persona. Ergo agunt non separatim ut seorsim ἀκοινωνήτως, sed junctim cum communione. Unde Cyrillus lib. 4. cap. 14. unicam & communem utriusqve operationem docet. Verba ejus hæc sunt: *Vita siquidem secundum naturam existit, in quantum ex vivo patre genitus est. Sed non minus sacrum ejus corpus vivificat, utpote modo quodam ineffabili vivificanti omnia verbo conjunctum pro cujus etiam habetur, & tanquam quid unum cum ipso intelligitur. Post incarnationem enim indivisus est, præterquam quod genitum ex Deo Patre verbum & templum ex virgine assumptum nequaquam idem natura intelligendum sit, sed conjunctione duntaxat atque connexione ineffabili. Quo-*

niam igitur vivifica facta est caro Salvatoris, cum illam degustamus, tum vitam habemus in nobis. Hanc enim ob causam etiam in ipsis mortuis suscitandis non verbis duntaxat & imperio Deo congruenti Salvator usus invenitur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem quandam vel idcirco maxime adhibuisse, ut ostenderet illam & vivificam & unum quid secum factam esse. Enimvero proprium ejus & non alterius corpus erat, unicamq; *ac* communem *utriusq; operationem ostendebat. Quemadmodum autem si quis acceptam scintillam paleis quamplurimis infunderet, ut semen illud ignis exsuscitaret: sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam occultat, & instar cujusdam seminis immittit immortalitatem, totam, quæ in nobis est, abolens corruptionem.* Hæc ille. Quod si naturæ seorsim agunt, necesse est etiam, ut seorsim subsistant, & unaqvæqve peculiarem constitua: personam: à qvo non abhorrent. Nestorianizantes Adversarii, docentes, divinam naturam formaliter subsistere, humanam vero effective tantum à λόγῳ sustentari. IV. ἀποπλεσμα sive ipsum opus. Sic qvæ ratio est passio Filii Dei, ἀποπλεσμα deletio mortis: *non enim aberrabit à vero*, inqvit Chrysostomus hom. IV. in Act. Apost. *qui passionem ejus actionem dixerit, nam patiendo fecit ingens illud & admirandum opus, quo mortem devicit reliquaq; omnia peragit.* Hic notanda est regu-

la An-

la Antiqvitatis: *Utraq; natura agit, quod suum est, sed cum communicatione alterius. Non diversas enim dicimus actiones, neque diverse agentes naturas, sed unite unamquamq; cum altertus communicatione, agentem idipsum quod proprium habuit. Neq; enim humana humane operantur (quae doquidem non nudus erat homo) neque Divina secundum Deum solum* &c. Adversarii urgentes communicationem apoteleſmatum & non energiarum, duas naturas concipiunt quaſi duas vias in communem angulum coeuntes, aut quaſi duos typographos, quſuna laborando unum librum excudunt, ita tamen ut unius actio non ſit actio alterius, licet concurrant in communi effectu. Qvi ipſiſſimus eſt Neſtorianismus. Vere paſſus eſt Filius Dei: vere mortem devicit Filius Mariæ. Hoc enim niſi dicas, humana natura tantum humana operata eſt, & divina divina, ſine communicatione alterius. Qvod eſt contra canonem Concilii Chalcedonenſis. Dices: *nihil aliud innui quam unionem naturarum.* Reſp diſtincta eſſe: uniri naturas & agere unum cum alterius communicatione. Præceſſit unio, ſecuta eſt actio communis. Si concurrunt ſolum actiones divinæ & humanæ, non autem habent inter ſe κοινωνίαν, ut aſſerunt Adverſarii, nihil opus fuit addere in canone Concilii Chalcedonenſis τῆς τῶν θεότητος κοινωνίας. Jam enim ille

concursus indicatus erat verbis præcedentibus: Utraqve natura agit qvod suum est. *Ergone*, inqvies, *utraque natura agit, quod est utriusque?* Utraqve natura agit, qvod suum est, actu naturali: sed & utraqve natura agit, qvod alterius est, actu personali (eoqve uno non duplici & composito) per & propter communicationem operationum. Sic Filius Mariæ moritur & Filius Dei: Filius Dei moritur pro mundi vita & mortem destruit: idem facit Filius Mariæ. Operatur λόγος per carnem, sed diversus est agendi modus: λόγος enim agit independenter, caro dependenter. Nihil nobis commercii est cum Monotheletis. Dices: *mori pro mundi vita esse proprietatem humanæ naturæ, non ἀποτέλεσμα.* Sed confunduntur diversa. Aliud est mori, & hoc propriũ est humanæ naturæ: aliud mori pro mundi vita sive mori ad vitam mundo per mortem reparandam, & hoc est ἀποτέλεσμα utriusqve naturæ. Neqve tamen hinc seqvitur, destructam esse morte naturam divinam: non enim divinitate, sed carne Filius Dei passus est. Neqve, dicendum est, â natura divina humanæ passioni ad ἀποτέλεσμα concurrenti pondus tantum accessisse: ipse qvoqve Filius Dei vere passus est carne & non tantum passioni pondus addidit. Nisi enim id dicatur ἄλλος καὶ ἄλλος statue-

statuetur, unus nempe mortuus & alter non mortuus, sed extrinsecus tantum concurrens ad mortem & carni dignitatem concilians per extrinsecam relationem. Unusidemq; mortuus est & lytrum infinitæ virtutis atqve valoris solvit. Hæc autem virtus infinita neqvaqvam est carni extrinseca: alias enim & ipse λόγος carni extrinsecus foret, neq; mutua naturarum περιχώρησις salva amplius esset. Concurrit humanitas ad omnes actiones officii, ut divina in ea, cum ea & per eam se exserat. Nempe duo sunt in humanitate, ipsa essentia humana & subsistentia, qvæ per unionem in ipsa Filii Dei persona subsistit: hinc aliæ actiones naturales, aliæ personales, ut sunt scire corda, exaudire præces, sustentare omnia, mundare à peccatis, contingere & alloqvi mortuos ut reviviscant &c. Ex dictis patet, opera officii recte referri ad idiomatum communicationem, ejusqve peculiare genus constituere: nisi forte malis communicationem operationum vocare, de qvâ vide Chemnit. lib. de duab. nat. cap. 12. Qvanqvam Philosophis non tantum actus primus, sed etiam actus secundus ἴδιον dicatur. Ubi ergo est ἴδιον & κοινωνία, ibi & communicatio idiomatum. Unum addendum est. Dicebatur supra Christum secundum utramqve na-

turam esse Mediatorem. Qværitur hic, qvo pacto τὸ secundum sit capiendum, specificativè an reduplicativè. Resp. specificativè: imò, si τὸ secundum capiatur ita, ut reduplicet ipsas naturas, in unione consideratas, capi etiam reduplicativè potest, non verò ut reduplicet naturas in se & per se atqve formaliter consideratas. Adde & alterum: Christum Mediatorem obedientiæ esse non passivæ tantum verum etiam activæ. Nam & pro nobis conceptus ac natus est Filius Dei, non tantum passus & mortuus, debuitq; obedientiam non pro se, sed pro nobis ut pontifex & Mediator noster; de qvo egimus exercitatione octavâ sub finem. Adde tertium: Humanam Christi naturam virtute divina communicata se ipsam resuscitasse. Victoria enim qva mortem devicit Christus non est solius divinitatis. Qvod si humanitas mortem vicit, seqvitur, eadem potentia, qva vicit, semet resuscitasse. Absqve hoc foret, nullum esset discrimen inter resuscitationem nostram & hominis Christi. Omnia Christus homo habet in manibus suis data sibi à Patre in tempore.

Ergo mortis qvoqve cum vita commutationem.

Caput II.

CAPUT II.
De
SACRA COENA.

ACturi nunc sumus de Sacra Cœna, sanctissima illa unionis spiritualis tessera, qvæ hodie, proh dolor, materia facta est litium infinitarum. Cum Pontificiis nunc res nobis non erit, qvi decreta recentis ejusdemq; contaminatissimæ Ecclesiæ stolidi adorant. Calvinainorum acumen examinabimus, qvod temerario ausu pestilentissimo exemplo inferunt in admirabile hoc arcanum. Tu, Deus, annue cœpto!

THESIS PRIMA.

Verba hæc: Edite, hoc est corpus meum, pro vobis traditum; bibite, hoc est sanguis meus, pro vobis effusus, literaliter, propriè adeoq; κατὰ τὸ ῥητὸν sunt accipienda —.

§. I.

GEmina est ratio interpretandi loca scripturæ, altera κατὰ τρόπον sive impropriè & figuratè, altera κατὰ τὸ ῥητὸν sive literaliter & propriè: qvæ alii sic distingvunt, ut dicant τὸ ῥητὸν esse sensum, qvem litera proprie sumpta suppeditat, sensum autem literalem, esse, qvi exprimitur

mitur dictione vel simplice & propria vel metaphorica & figurata. Cum τὸ ῥητὸν urgemus, sermo nobis est de verbis institutionis Cœnæ essentialibus, ut sic dicâ, qvæ materiam & formâ sive materiâ & actus Sacramẽtales tradũt. Qvalia sunt ea, qvæ modo recitavimus. Qvæstio ergo est an κατὰ τὸ ῥητὸν, an verò κατὰ τρόπον accipienda sint. Nos priorem sequimur rationem: Calviniani posteriorem. Sed hic mira sententiarum varietas. Sunt, qvi in copula est cum Zwinglio tropum collocant: sunt qvi cum Oecolampadio in prædicato corpus, sanguis, tropum fovent & explicant per signum corporis, sanguinis: sunt deniqve qvi contendunt, neqve in subjecto, neqve in Prædicato tropum esse, esse tamen propositionem Metonymicam. Postremos hosce ut nimium absurdos & falsos dimittamus. Nullus qvippe Rhetor ad eum modum propositionem tropicam nobis descripsit. Falsitatem cumulant, cum dicunt, duplicem esse Metonymiam, aliam apud Grammaticos, aliam apud Rhetores. Qvis talia portenta unqvam fando audivit? Recte Leidenses Disp. XLV. Thes. 65. de opinione Crellii; figuratam propositionem Logicam Rhetoricæ opponentis, atqve illam toto enunciato, hanc voce definientis judicant his verbis: *Cum Logica mentis & internæ rationis, non sermonis sit, ejus figurata prædicatio nulla est, sed figura*

figura Rhetoricæ elocutionis tantùm. Et quamvis ejus causa ab attributione est, sedes tamen in parte aliqua & certa est. Hæc Leidenses, qvi th. 71. cum Oecolampadio collocant tropum in prædicato, putantq;, has propositiones æqvipollere, Panis & vinum est corpus & sanguis Domini, &: est communio corporis & sanguinis Domini, non qva panis, sed qva fideles communionem habent cum corpore Christi. Cœterum thes. 73. tropi genus esse dicunt Metonymiam signati pro signo: *& esse quidem signa hujusmodi, quibus præsentia conjuncta & unita suo modo sunt (nempe sacramentaliter, id est, realiter quidem, puta χεπκῶς respectivè, non autem substantialiter) rei significatæ corpus & sanguis Domini: Imo hæc signa esse quasi vehicula instrumenta, per quæ exhibetur sive offertur omnibus, credentibus vero confertur datur & à fidelibus sumitur ipsissimum corpus & sanguis Christi.* Amesius in medull. Theolog. lib. I. cap. 40. ponit in prædicato qvintuplicem tropum. 1. *Metonymiam signi pro signato.* 2. *Metaphoram, panis est similis corpori Christi.* 3. *Metonymiam Adjuncti, panis est adjunctum corporis Christi.* 4. *Synecdochen, Panis est totus Christus.* 5. *Metonymiam subjecti pro adjuncto, Panis est omne Christi beneficium* &c.

§. II. Hæ sunt celebriores Calvinianorum sententiæ. Alia Tropososphorum glossemata qvi

ta qvi legere cupit, adeat Sluſſelburgium & Schröderum: qvorum ille in catalogo de Calvinian. pag. 80. triginta & unam: Hic in Sceptro Regali pag. 600. ſeqq. viginti ſex Calvinianorum gloſſas & depravationes Verborum Cœnæ recenſet. Digna notatu ſunt verba Magni Chemnitii, qvæ in libello de Fundam. SS. Cœnæ pag. 30. habet: *Qvando*, inqvit, *à ſimplici propria & nativa verborum ſententia diſceditur, tunc in multas varias & diſſimiles interpretationes & opiniones ſicut manifeſtum eſt, verba illa diſtrahuntur, & dum qvisq; ſuam opinionem tuetur mens dubia & incerta relinqvitur: neqve enim hactenus inter ipſos convenire potuit in qua voce collocandus ſit tropus; qvaqve & qvis ſit tropus, qvaque ſit vera & conſtans verborum illorum interpretatio. Sed qvod authores, tot ſunt ſenſus. Et cuilibet regi ſua Regina pulcherrima videtur. In tanta interpretationum & opinionum varietate, qvæ poteſt eſſe fidei πληροφορία? tum ſemper reſtet ambigua incertitudini appendix: poſſunt forſan verba illa aliter etiam exponi atqve intelligi.* Subnectit loco citato Chemnitius verba Lutheri, qvibus adipſum Filii Dei tribunal ſe producturum ait hanc apologiam: *Domine Jeſu Chriſte, nata fuit controverſia & ortum certamen de verbis teſtamenti tui. Quidam contenderunt, verba iſta aliter, quàm in propria & nativa ſententia ſonant, intelligenda eſſe: ſe qui a inter*

ipſos

ipsos non convenit, quis tropus & in qua voce sit collocandus, non potuerunt unicam & certam interpretationem illorum verborum constanter & consentienter ostendere: sed in multas varias & dissimiles interpretationes & opiniones distraxerunt verba testamenti tui, non potui itaque nec volui fidem meam in hac tam gravi controversia committere in certis illis variis & dissentientibus interpretationum & opinionum fluctibus. E contra vero vidi, si verba accipiantur, sicut sonant, in simplici propria & nativa sententia, tunc constanter reddi unicam & certam sententiã. Ego igitur, qui statui, te voluisse unicam & certam esse testamenti tui sententiã, in ea interpretatione acquievi, quam verba in simplici propria & nativa sententia unicam & certam reddunt & ostendunt. Si enim voluisses aliter, quam sonant verba illa, intelligi, sine dubio adjecisses claram & apertam declarationem, sicut idem fecisti in illis, in quibus allucinatio non est conjuncta cum tanto periculo, sicut in verbis testamenti tui. Gemina his habet CL. Calixtus Exerc. I. de Transubstant. Thes. V. & Zanchius Epist. dedic. lib. de tribus Elohim infra §. 8. allegandus.

§. III. Lutheri ergo est sententia, qvæ & nostra est, interpretanda esse verba Sacramenti σχετλιὰ sive constitutiva: Hoc est corpus meum &c. Sicut sonant in simplici propria & nativa sententia, sine figura & tropo. Nullus enim in se tanti momenti Evangelista, Apostolus

vel

vel minima qvidem monitiuncula ad tropum nos ducit. Atqve hæc interpretatio literalis rationi mysterii, qvod in Cœna mirabile est, explicandæ qvàm accommodatissima est. Scilicet fatetur Ecclesia Catholica cum Cypriano Cœnæ Sacramentum esse, Sancta sanctorum, cum Chrysostomo, esse φρικτὸν μυστήριον hoc est, tremendum mysterium, qvod rem exponit sensus omnes ipsiusqve adeo rationis judicium longissimè excedens. Calvinus ipse lib. IV. Institut. cap. XVII. sect 7. fatetur, *sibi non licere ullis verbis complecti tantum mysterium, quod ne animo quidem*, inqvit, *satis me comprehendere video, & libenter ideo fateor, ne quis ejus sublimitatem infantiæ meæ modulo metiar. Quin potius lectores hortor, ne intra istos nimium angustos fines, mentis sensum contineant: sed multo altius assurgere contendant, quam meo ductu possint, nam ego ipse quoties hac de re sermo est, ubi omnia dicere conatus sum, parum adhuc mihi pro ejus dignitate dixisse videor. Quanquam autem cogitando animus, plus valet, quam lingua exprimendo: rei tamen magnitudine ille quoque vincitur & obruitur. Itaque nihil demum restat, nisi ut in ejus mysterij admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando nec lingua explicando par esse potest.* Et sect. 32. *Porro de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi vel*

enarrari

enarrari verbis queat: atque ut apertius dicam, experior magis, quam ut intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquiescere tuto licet, hic sine controversia amplector. Pronunciat ille carnem suam esse animæ meæ cibum, sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meã pascendã offero. In sacra sua Cœna jubet me sub symbolis panis & vini corpus & sanguinem suum sumere, manducare & bibere: nihil dubito, quin & ipse verè porrigat & ego recipiã. Hæc Calvinus. In qvibus duo notam°. Primũ est, qvod evidentia verborum institutionis & consentiente Evangelistarũ atq; Pauli sententia coactus fatetur, Christum verè porrigere sub symbolis panis & vini manducandum Corpus & bibendum sanguinem suum. Est enim in verbis institutionis accipite edite hoc est corpus meum &c. Exhibitiva propositio, cujus ea est indoles, ut exprimat id, qvod alii tradimus & exhibemus. Illud vero, si plura contineat unita, sive si plura conjunctim exhibeantur, voce, qvàm prædicati loco ponimus, id exprimimus, qvod alias incognitum & sensibus minus obvium est, ut proinde indicari opus sit, qvomodo tradito sacculo dicimus, hoc est aurum summa centum ducatorum. Sacculum videmus, sed qvod sacculo continetur, non constat, ideo ab eo, qvi porrigit, sive dat, exprimitur. De qvo infrà pluribus agendum. Alterum est, qvod

subli-

sublimius esse dicit mysterium, qvam ut ingenio comprehendi vel enarrari verbis qveat. Qvæ verba qvomodo cum tropis & figuris, qvas in verbis institutionis ponunt Calviniani, conciliari qveant, non videmus. Si enim tollatur τὸ ῥητὸν, & figuræ substituantur, qvodnam remanebit mysterium? Nullum profecto. Nihil θαυμαστὸν, ἀπόρρητον, ἀκατάληπτον, ἀγνοούμενον. Omnia erunt rationi & sensibus familiaria, pervia, facile comprehensibilia. Alterutrum ergo dicendum, aut mysterium non esse & rationem seqvendam ducem in constituendis tropis, figuris; aut mysterium esse, & captivandam rationem. Qvod si enim mysteria non voluerimus admittere, nisi ratione explicari possunt, peribit omnis mysteriorum ratio, peribit articulus de Trinitate, Incarnatione, Resurrectione, ut testantur eventa superioris seculi, qvo ex Calvinianorum Schola prodeuntes post oppugnatum hoc mysterium tentarunt qvoqve articulos modo dictos Georgius Blandrata, Alciatus, Valentinus Gentilis, Franciscus Davidis, Adam Neuserus aliiqve Sociniani. Neqve ad tropos in explicatione sacrarum literarum deveniendum, nisi id summa flagitet necessitas, eademqve vera necessitas non à ratione conficta: sic enim peribunt arti-

culi

culi fidei atqve spoliabuntur laude debita sancti, qvi á clara litera non propterea sibi discedendum duxerunt, qvod cum ratione pugnaret. Vide exemplum Abrahæ Gen: XIIX XXII. Rom. IV. 18. seqq. Ebr. XI, 11. 19. Illustris est regula, qvam hic inculcat Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16. *Si* inqvit, *locutio præceptiva aut flagitium videtur jubere, aut utilitatem & beneficentiam vitare, figurata est.* Nec est, qvod dicas, juberi hic ἀνθρωποφαγίαν. Hanc enim Cyclopicam & Capernaiticam lanienam detestamur, ut ex dicendis infra patebit.

§. IV. Prolixi sunt adversarii in defendenda sua sententia & refutanda nostra. Solus Wendelinus Christianæ suæ, ut vocat, Theologiæ Lib. I. cap. XXIII. tractatione hujus controversiæ paginas benè multas implevit, adeoqve, qvicqvid ab aliis hujus sectæ in hac controversia Sacramentaria sive pro se sive adversum nos integris voluminibus tractatum est, in compendium qvoddam sed dispendiosum redegit. Expendamus merita causæ. Videamus, qvid præstare voluerit, & experiamur, sed brevibus, qvantum præstiterit. Agit Wendelinus libro & capite citatis thes. IIX. de sensu verborum institutionis hoc ordine, ut primum suam suorumq; sententiam explicet & confirmet, deinde nostram recitet & refutare conetur. Seqve-

mur

mur eum κατὰ πόδα. Primum disputat de subjecto Propositionis, Hoc est corpus meum, & vult evincere, demonstrativum Hoc solum significare panem. Rationes ejus sunt 1. *Quod Christus suis manibus de mensa solum recepit, fregit & distribuit, id solum significat demonstrativum hoc. Atqui solum panẽ Christus accepit, &c. E. solum panem significat demonstrativum Hoc.* Respondeo Majorem esse insufficientem, eo qvod tantum ad supra scripta non vero etiam ad infra scripta respiciat: qvod est contra regulas sanæ interpretationis, qvæ conseqventia cum antecedentibus conjungi atqve sic non seorsim sed junctim attendi jubent. Non enim actibus præparatoriis, qvales sunt acceptio, fractio, distributio absolvitur Sacramentum Cœnæ: reqviruntur insuper & qvidem potissimum actus, qvi formam Sacramenti constituunt, qvales sunt δόσις καὶ λήψις. Verba institutionis sic jubent suppleri defectum Majoris. Qvod Christus de mensa accepit, fregit, distribuit & manducare atqve bibere jussit, id intelligendum per demonstrativum Hoc. Atqvi non panem solum sed & corpus accipere atqve manducare, non vinum solum verum sanguinem qvoqve bibere jussit, illis verbis: Accipite, edite, hoc est corpus meum, bibite hoc est sanguis meus. Ergo non solus panis sed & corpus, nec solum vinum

sed

sed sangvis qvoqve denotatur per demonstrativum Hoc. Conferatur Matth. caput 16. v. 16. ubi de homine Christo dicitur qvod sit filius Dei viventis. Hic non licet ita colligere, qvi in antecedentibus nominatur, ille tantum intelligitur per vocem tu. Atqvi solus filius hominis nominatur in antecedentibus. Ergo ille solus intelligitur per tu, nec idem est hominis & Dei filius. II. *Paulus expresse interpretatur demonstrativum Hoc de pane, Panis est communicatio corporis Christi. I. Cor. X, 16. Quod si per panem intelligendum complexum ex pane & corpore unitis, sensus verborum Christi esset, Panis cum corpore est corpus meum &c. qvod absonum.* Sed diversæ propositiones Christi & Pauli. In verbis institutionis subjectum est hoc, prædicatum corpus. At in Paulo subjectum est panis, prædicatum communio corporis Christi. Retorqvemus ergo argumentum. Si panis est communio corporis Christi, utiqve τὸ Hoc non potest denotare solum panem. Ratio est. Qvia si dato pane, datur etiam corpus Christi, sequitur esse aliqvam inter panem & corpus unionem. Porrò, ubicunqve demonstrantur res unitæ, qvarum altera sensibus obvia altera incognita est, ibi hæc (incognita & inconspicua) in prædicato exprimitur, particula vero δεικτικὴ (hoc) subjecti loco posita complexive res unitas demon-

strat. Exemplo obvia sunt, qvæ omnia & singula stant pro nobis & veritate. Non enim aliam vim habet, nec habere potest τὸ Hoc, nisi velimus cum Carolstadio dicere, esse in verbis Institutionis propositionem identicam, similem huic, Hoc est mensa, cujus sensus est, hoc, qvod individuo demonstratur, est mensa. At hanc esse ejus vim in verbis institutionis negant, & rectè qvidem, adversarii. Repugnat enim τὸ ῥῆμα: repugnant verba: Hoc est sangvis meus Matth. XXVI, 28. Aut ergo proferant adversarii aliam analysin congruentem & consuetudine receptam, aut concedant, τὸ Hoc complexive sumi. III. *Qvod jubemur ore manducare in memoriam corporis Christi, id solum denotatur per pronomen hoc. Atqui solum panem jubemur ore manducare in memoriam corporis Christi, ut ex Paulo liquet, jubente nos comedere panem in memoriam corporis pro nobis fracti, id est, crucifixi. Ergo solus panis denotatur per pronomen Hoc.* Majoris vis nulla est. Posito enim, jussos nos manducare panem in memoriam corporis Christi pro nobis crucifixi, non seqvitur, non potuisse simul mandari ipsam corporis Christi manducationem. Qvod si vero mandatur ipsa corporis Christi manducatio, ut omninò mandatur, manifestum est τὸ Hoc non solum panem denotare. Minor nuspiam vel in Evangelistis vel in Paulo

Paulo apparet. In Evangeliſtis enim non dicitur: Hoc facite in corporis mei commemorationem, ſed, hoc facite in mei, hoc eſt, crucifixionis & paſſionis meæ memoriam, annunciate mortem Domini, qvæ eſt interpretatio Pauli. Ex Paulo liqvidum eſt, confundi à Wendelino deſtinctas propoſitiones, Edite hoc eſt corpus meum pro vobis fractum ſive crucifixum, &, Hoc facite in mei commemorationem. Ubi hic illa Wendeliniana, ſolum panem jubemur edere in memoriam corporis Chriſti? Adverſarii putant hæc verba, edite hoc eſt corpus meum, non habere plenum ſenſum, anteqvam addantur iſta: Hoc facite in mei commemorationem. Tranſingant ergo cum Matthæo & Marco. IV. *Quod ſignificatur per Pronomen Hoc eſt Symbolum & Sacramentum corporis Chriſti. Atqui ſolus panis eſt Symbolum corporis Chriſti. Ergo ſolus panis intelligitur per pronomen Hoc.* In his etiam formæ bonitatem deſideramus. Non enim licet ſub Majore abſoluta minorem formare exponibilem excluſivam ſalva forma. Nec valet: omne rationale eſt ſentiens, ſolus homo eſt rationalis, Ergo ſolus homo eſt ſentiens. Dices ideo non valere, qvia Minor virtute negans eſt prima figura, Wendelinum autem argumentari in ſecunda. Reſpondeo, etiam Wendelini Syllogismum in

prima figura esse & mentiri secundam. Majoris enim termini transpositi sunt, ut in illo: Omne id est sentiens, qvod est rationale. Si hic sub sumas: Solus homo est rationalis, vitiosa erit collectio. Præterea Major est falsa. Verum qvidem est Symbolum & Sacramentum corporis Christi (ponendo sic appellari panem posse) significari per pronomen hoc, sed id falsum est, solum panem significari. Nullus apex ex Evangelistis, nullus ex Paulo produci potest, qvo id solide probetur. Adversarii veterum sententias in ore habere solent, qvibus panis dicitur Sacramentum, Mysterium, Symbolum, Typus, Antitypon, Figura, Signum, Imago, Similitudo, Memoria corporis Christi. Sed hac de re nulla est controversia. Non enim qværitur de propositione ecclesiastica: panis est corpus Christi, sed de propositione biblica: hoc est corpus Christi. Veteres attendebant similitudinem inter corpus & panem, qvi suo qvodam modo cœlestem nutriendi virtutem corpori domini co infinitam figurare aptus est. qvod & nos admittimus. Si enim qværatur, cur Christus adhibuerit in Sacra Cœna panem & vinum, respondemus id factum esse, tum ut typi Cœnæ Sacræ implerentur, verbi gratia Manna, Joh. VI, 31. 32. I. Cor. X, 3. 4. tum propter ἀναλογίαν illam, qvæ est inter panem & corpus Christi, & vinum

vinum atqve sanguinem Christi. Sicut enim panis è multis granis conficitur, coqvitur & nutrit: ita corpus Christi in cruce velut coctum nutrit nos ad vitam æternam, efficitq;, ut qvotqvot de pane illo participamus, unum corpus simus I. Cor. X, 17. Et sicut vino sitis exstinguitur, cor exhilaratur, ita sanguine Christi resinguitur sitis spiritualis, reficitur homo &c. Interim nec nos nec Veteres à cœna Dominica abesse corpus & sangvinem dicimus, de qvo pluribus infra. Qvod attinet Augustini verba, qvæ extant Tom. VI. p. 157. edit. Basil. contra Adimant. cap. 12. ubi ait, *non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum daret signum corporis*, non ille loqvitur de signo separato, sed conjuncto. Ut enim sanguis est signum animæ, sic panem signum ait dici corporis Christi. Loqvitur ergo de signo ἀδιαχώτῳ & conjunctissimo. Idem inculcat ad Bonifac. sic scribens: *Cum panis dicitur corpus Christi, secundum quendam modum est corpus Christi, quia videlicet sacramentum tantæ rei, nomine ipsius rei vocatur: sicut Baptismus dicitur esse fides, quia est sacramentum fidei: propter enim similitudinem & analogiam, quam habent sacramenta cum rebus, quarum sacramenta sunt, nomina ipsarum rerum sortiuntur.* Ubi nota, baptismum dici sacramentum fidei non utiqve absentis sed præsentis. Et hanc esse Augustini

mentem apparet ex aliis locis, qvibus *bibi* ait *quod de latere Christi manavit* lib. XII. cont. Faust. Manich Epistol. 118. ad Januar. *In os Christiani dominicum corpus intrare* scribit Unde lib. II. cont. Adversar. leg & Proph. cap. IX. *non fide tantum sed & ore manducari bibiq; corpus & sanguinem Christi* affirmat, qvod de nudo signo accipi nequit: non enim fide signotenus tantum accipimus corpus Christi. Verba ejus sic habent: *Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum carnem suam nobis manducandam bibendumq; sanguinem* FIDELI CORDE ET ORE *suscipimus, quamvis horribilius videretur, humanam carnem manducare quam perimere & humanum sanguinem potare, quam fundere.* Non est qvod dicant Adversarii Augustinum de nudis signis & ipsa re signata vacuis loqvi. Neqve enim id permittunt pondera verborum qvibus Augustinus utitur. Lib. XII. cont. Faust. Manich. cap. X. *Accipi* ait *sanguinem Christi in terrâ & receptum ex ore fidelium exprimere vocem ac si sanguis ipse ex eorum ore loqueretur.* Verba hæc sunt: *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur Amen. Hæc est clara vox sanguinis, qvam* SANGUIS *ipse exprimit* EX ORE *fidelium eodem sanguine redemptorum.* Et cap. XI. *Unde Christo in cruce passo velum templi conscissum est, ut per Christi passionem revelentur secre-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0186
DFG

veta sacramentorum fidelibus ad BIBENDUM *ejus sanguinem, ore aperto in confessione transeuntibus.* Finge hic splendide atqve magnifice rhetoricantem Augustinum & signum re signata spoliantem, ubi manebunt secreta sacramentorum Novi Testamenti, multo clarioribus existentibus signis veteris Testamenti? Qvæ tamen nuspiam Veteres dicunt corpus & sanguinem Christi fuisse. De Luthero non est, qvod dicamus. Manifesta est ejus circa hoc punctum sententia. Fatetur ille τῷ Hoc panem indigitari, sed non solum. Idem nos facimus. Qvod attinet Authorem orthodoxi consensus, opus ille suum, mole haud exiguum perpetua ignoratione Elenchi complevit, dum ubiqve disputat adversum modum præsentiæ Christi in Cœna & manducationis physicum, qvem pariter cum Calvinianis detestamur.

§. V. Sic confirmare sua voluit Wendelinus. jam respondet ad nostra. Primo dicimus, si Christus per τοῦτο voluisset intelligere panem, utiqve dixisset, hic panis non hoc. Excipit Wendelinus 1. *tritam esse loquendi consvetudinem, qua per demonstrativum hoc indigitat illud, cujus antea facta mentio est.* 2. *Retorquet argumentum nostrum: si Christus voluisset dicere, quod nos intelligimus, clarius dixisset hoc complexum.* Si tritam loqvendi consvetudinem seqvamur, aliter ex-

plicari pronomen demonstrativum hoc substantive intellectum, qvam συμπεπλεγμένως, sive complexive, neqvit. Aut enim efficit propositionem identicam aut capitur complexive. Tertium non datur. Sed identicam propositionem juxta nobiscum rejiciunt Calviniani. Qvare reliqvum est, ut capiatur complexive. Neqve id indicari aut exprimi necessum fuit. Non enim cum porrecto alabastro dico, hoc est unguentum pretiosissimum, opus est addere, hoc complexum. Nulla enim hic obscuritas. Et qvid hoc esset dicere, hoc complexum est corpus meum? Non enim panis & corpus est corpus Christi. Eadem ratio est exemplorum sacrorum: Hic est filius meus (de homine) hoc est Spiritus Sanctus (de columba) Hic est Angelus (de viro Jud. XIII, 6. 13.) In his exemplis est in subjecto complexio, pariens conceptum confusum, qvi tamen mox cogitur destincto conceptui cedere, qvem gignit prædicatum. II. Si Christus voluisset voce τοῦτο indigitare solum panem, utiqve non dixisset τοῦτο sed τοῦτον. Excipit Wendelinus *provocando iterum ad consuetudinem, quæ sæpe pro masculino & fœminino usurpat Hoc, verbi gratia; Quid hoc est?* Sed non est verisimile, si τοῦτο esset positum loco τοῦτον, id à nullo Evangelistarum fuisse monitum & clarius expressum.

Ad con-

Ad consuetudinem & nos provocamus, dicimusq;, ubicunqve demonstrativum hoc ponitur in subjecto propositionis singularis, ibi vel simpliciter rem unam demonstrare in subjecto & prædicato ut cum dico hoc est lapis, vel complexe res unitas designare ut cum monstrato ferro ignito dico, hoc est ferrum, hoc est ignis. Et hoc tam firmo innititur fundamento, ut nulla ἐυστάσει hæc universalitas labefieri possit. At prius locum hic non habet. Manet ergo, τὸ Hoc complexive capiendum. III. Si τὸ τοῦτο solum significat panem, utiqve in posteriori parte Cœnæ τὸ τοῦτο significabit solum vinum, cui tamen contradicit Lucas, dum addit, illud τοῦτο esse effusum in remissionem peccatorum. Excipit Wend. *illud ἐκχυνόμενον referendum esse ad αἷμα quod præcessit, vel, si referendum ad ποτήριον intelligendum esse sacramentaliter; sicut enim de Symbolis affirmatur res signata, de pane corpus, de vino sanguinem, sic etiam de iis affirmari poterit rei signatæ proprium veluti cum baptismus dicitur lavare à peccatis.* Beza putat esse Σολοικοφανὲς in vercis Lucæ, sed repugnant Hensius & Dieu, qvi notant ex lingvc Ebrææ indole id dictume sse, ac si dixisset Lucas: ἐν τῷ ἅματί μου (ὅ ἐστιν) ἐκχυνόμενον. Et fatemur, calicem hic dici effusum in remissionem peccatorum, non respectu

 sui,

sui, multo minus respectu vini, sed respectu sanguinis Christi, qvem continet. Ubi nota, minimè id dici potuisse, si tantum figura & symbolum sanguinis Christi contineatur. Sic enim calix veteris Testamenti continens sanguinem hircorum, qvi longe expressius & luculentius symbolum fuit sanguinis Christi, meliori jure dicendus esset calix N. Test. Et hoc arg. est contra figuras & tropos Calvinianorum solidissimum. Manet ergo vis argumenti. Qvomodo τὸ τοῦτο accipitur in posteriori parte Cœnæ, sic etiam capitur in priore. At in posteriore sic capitur, ut non denotet solum vinum, hoc enim non est causa & fundamentum Novi Testamen. Ergo. Qvod de sacramentali symbolorum de rebus signatis prædicatione dicitur, omni caret fundamento & exemplo. Cum dico, baptismus lavat à peccatis, per baptismum non intelligitur symbolum aqvæ tantum sed materia terrena & cœlestis. Utrâqve sacramentum absolvitur. IV. Ubicunqve ponitur τὸ Hoc neutraliter, ibi complexivè significat. Excipit Wendelinus *hoc falsum esse*. Addat ergo in Majore: ubi τὸ Hoc ponitur substantive, ibi vel complexivè capitur, vel efficit propositionem identicam. Eligat nunc utrum volet. Si posterius, Calvino deserto Carolstadium sequetur. V. Tristissima est loqvendi ratio, ut,

cum

cum duo conjuncta porriguntur, ſubjecti loco ponatur totum complexum. Excipit Wendelinus, *Lutheri hanc eſſe argumentationem ſed nullam ejus eſſe conſequentiam, niſi prius probetur, Chriſtum non ſolum panem fregiſſe & manducandum præbuiſſe, ſed etiam cum pane corpus ſuum, quod tum menſæ aſſidebat.* Pro Luthero ſtat evidentia verborum inſtitutionis & inductio omnium exemplorum. Cœterum diſtinguendi ſunt actus præparatorii ab actionibus ſubſtantialibus Cœnæ. Solum panem de menſa accepit, fregit, & ſic præparavit, at una cum pane accipi & manducari juſſit corpus ſuum. VI. Id denotatur particula Hoc qvod Chriſtus accepit, fregit & juſſit edere. Atqvi non ſolum panem verum etiam corpus juſſit comedere. Ergo. Reſpondet Wendelinus *limitando Majorem: Quod juſſit edere oraliter, corporaliter & propriè &c. Et ſic negat Minorem. Chriſtum enim non juſſiſſe edere corpus ſuum propriè ſed impropriè.* Si autem qværas ex Wendelino, qvando ergo & ubi Chriſtus jubeat corpus ſuum edi impropriè, reſpondet, id fieri implicitè in verbo edite, explicitè in verbis, hoc facite in mei memoriam. At hæc reſponſio in verbis inſtitutionis non eſt fundata, ſed iisdem repugnat, contra venit Catholicæ illi Regulæ interpretationis ſcripturarum: Vox una ſemel poſita & qva literas & qva ſenſum non poteſt

ſuſti-

sustinere duos diversos significatus. Audiamus Alstedium lib. 2. de præcog. Theolog. cap. 6. *Scriptum sacra non est ambigua sed quælibet vox & phrasis in eadem sententia & constructione eadem uno eodemqve loco unicam tantum habet significationem, unicum sensum, non plures. Nam tum demum est enunciatio vera cum unum dicitur: sed unum non dicitur, cum voci seu phrasi eidem duplex affingitur significatio in eodem loco.* Atqvi vox edere semel posita, Ergo non potest sustinere duos diversos significatus. Adeoqve propriè corporaliter & oraliter editur non tantum panis, verum etiam corpus, qvod attinet instrumentum edendi, interim comeditur corpus non modo proprio & physico, sed modo mystico & sacramentali, non immediate, sed mediante pane benedicto. Qvare etiam si addatur limitatio Wendelini, erit tamen adhuc vera Minor, qvod Christus edere jussit corpus suum proprie, qva rem, non qva modum rei, ut dictum. Neqve ullum præsidium Wendelino est in ultimis Institutionis verbis. Aliud enim est: edite corpus meum: aliud: hoc facite in mei memoriam. Prius rem concernit, posterius finem. Deniqve si implicite in verbo edite Christus jubet corpus suum edi impropriè; fide nimirum, siq; soli fideles corporis Christi participes sunt, utiqve Judæ in fideli verè dicere non potuisset: Ede, hoc est

corpus

corpus meum. Nec verè Marcus: Et biberunt omnes.

§. VI. Progreditur Wendelinus ad prædicatum propositionis Sacramentalis, & rectè statuit intelligi corpus proprie dictum. Atqve hac in parte ab aliis ejusdem sectæ, qvarum verba §. 1. allegata sunt, dissentit. Et merito qvidem. Expositio enim illa, qvæ in prædicato corpus, sanguis, fingit tropum, repugnat πρᾶγμα, & naturæ propositionum exhibitivarum, qvarum fundamentum est unio rerum præsentium. Qvanqvam enim hedera sit signum vendibilis vini, nemo tamen nunqvam tradendo hederam dixit, accipe, hoc est vinum. Deinde repugnat naturali & legitimo figurate loqvendi modo. Si enim id, qvod Calviniani intendunt, dicere Christus voluisset, utiqve non dixisset: Hoc est corpus meum, aut panis est corpus meum, sed contra: corpus meum est panis sive cœlestis cibus, & sanguis meus est vinum sive potus spiritualis. Sic enim ipse qvoqve Christus solet hos terminos locare v.g. Joh. VI, 35. 55. Caro mea est cibus, non contra. Illud enim, in qvo proprietas, qvam exprimere volumus, est magis clara, prædicari debet de eo, in qvo minus est clara, v.g virum fortem expressuri dicimus. Hic Homo est Leo, non autem, hic leo est homo &c. Hæc enim est natura prædicationis

cationis ordinatæ, ut prædicetur terminus connotativus, sive, qvi stat loco connotativi de absoluto, non contra. Dico ordinatæ: nam ubi contra fit, v. g. Petra erat Christus, ager est mundus, semen est verbum, facilis est transpositio terminorum, Christus est Petra, mundus est ager verbum Dei est semen. Sed in hac propositione: Hoc est corpus meum, τὸ Hoc necessario est subjectum, neqve enim invertere licet: Corpus Christi est panis, qvia Christus non de pane metaphorico, sed vero & reali, qvem frangebat & distribuebat deqve vero & reali corpore suo loquitur. Tertio repugnat hæc expositio oppositorum naturæ, quæ hæc est, ut non possint de se prædicari in casu recto. Unde consequitur, nullum relatum de altero dici posse in casu recto sive propriè sive figuratè. Quare nec signata de signis (inter hæc enim esse quandam χέσιν ipsi fatentur adversarii) puta corpus de pane, sanguis de vino prædicari possunt. Nec ulla idonea probatorum virorum exempla possunt proferri, qui ejusmodi enunciationes construxerint. Verissimum quidem illud est Augustini quæst. sup. Levit. 57. *Solere rem quæ significat, ejus rei quam significat, nomine nominari.* Quomodo & Lutherus *carnem Christi in sacrâ Cœna atteri dentibus* dicit. Quod sic explicat: *Qui panem hunc edit, is edit corpus Domini, qui panem*

nem hunc dentibus aut linguâ premit, is premit corpus Domini. Et tamen omnino manet verum, quod nemo corpus Domini videat, aut mordeat, sicut alia caro conspicuè videtur, & dentibus comminuitur quippe quod evenit pani, carni Christi rectè tribuitur propter sacramentalem unionem. Quanquam vero hæc ita se habeant & v. g. Toga ut signum pacis sæpè usurpetur pro pace, non tamen integram enunciationem efficiendo dicere possum, Toga est pax. Dico quidem effigiem Cæsaris esse Cæsarem, septem vaccas esse septem annos, verum hic non prædicatur signatum de signo, sed nomen æquivocum diversis rebus tribuitur. Non enim vivus Cæsar tantum, verum etiam pictus Cæsar dicitur: Et vaccæ apparentes sunt anni non veri sed imaginarii. At panis hic intelligitur verus & corpus verum non æquivocum non imaginarium. Quod si ratio significandi valet, longe melius dicitur agnus paschalis est corpus Christi. Quod tamen ineptè dici ipsi Adversarii admittent. Est quidem hedera signum vini: sed si quis tradendo hederam dicat, accipe hoc est vinum, absurdè & planè inconvenienter loquetur. Quod si autem hedera cum vino simul offeratur, dicere potest, accipe hoc est vinum. Nam ejusmodi propositionum fundamentum est unio præsentium rerum. Quarto repugnat hæc expositio determina-

minationi Christi & Pauli. Christi determinatio hæc est: corpus, quod pro vobis traditur, sanguis, qvi pro vobis effunditur. Hic τὸ quod & qui ostendit idem corpus exhiberi in cœna, quod traditum est in cruce. Neque enim geminum corpus habet Christus, sed unum tantum. Cœterum non debet τὸ quod exponi per quale, vel quatenus. Neque enim saltum licet facere de prædicamento in prædicamentum. Neque in his verbis mandati, quibus docemur, quid edere debeamus, modus percipiendi describitur, sed inculcatur veritas rerum percipiendarum, quanquam haud inviti concedamus, non modo nobis exhiberi substantiam corporis Christi, sed ejusdem efficaciam. Bene Beza Oper. Volum. III. pag. 204. Epist. V. ad Alamannum: *Certe corporis & sanguinis nomina nimis absurdum foret de fructu & efficacia mortis Domini interpretari, vel ad solum ipsum spirituale institutum restringere quod ut quam plenissime intelligatur, age pro his vocibus, corpus & sanguis, substituamus illam interpretationem & dicamus: Hoc est efficacia mortis meæ, quæ pro vobis traditur, & hoc est Spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid ineptius est hac oratione? Nam certè verba illa, quod pro vobis traditur, &, qui pro vobis effunditur, necessario huc te adigunt, ut de ipsamet corporis & sanguinis substantia hoc intelligere*

gere togarii. Hæc ille. Idem pag. 122. in defensione contra falsas demonstrationes Flacii: *Hæc sunt Calvini verba. Prius membrum significat corpus nobis exhiberi; hoc secundum exprimit, quis inde fructus ad nos perveniat. Qui sic loquitur, an non manifeste dicit his verbis: Hoc est corpus meum, REM sive ESSENTIAM sive corpus (ut ipse Illyricus loquitur) sacramenti describi & ita quidem, ut à fructu, qui ex illa nobis communicatur & ad nos redit, distinguatur igitur nec falso dixi, Illyricum in ipso limine impingere, nisi forte aliud esse putat. REM sive corpus sacramenti, quam eius ESSENTIAM* h.e. *corpus Christi.* Hæc Beza ex mente Calvini. Pauli determinatio hæc est: Panis est communicatio corporis Christi. Si hic corpus idem est ac signum & figura corporis, absonus emerget sensus: Panis est communio signi corporis Christi. Quinto repugnat hæc expositio toti scripturæ, qvæ corpus Christi agnoscit verum & naturale, item mysticum & spirituale, qvod est Ecclesia. Nullus potest produci locus, in qvo corpus Christi accipiatur pro symbolo vel signo corporis. Sexto repugnat hæc expositio hypothesi adversariorum. Id qvod gemina ratione evictum damus. Primo, si verba Christi, hoc est corpus meum, ita sunt resolvenda, hic panis est signum corporis Christi, sequitur, Christum in verbis Cœnæ nullam prorsus instituisse manducatio-

cationem corporis sui, nec fidei, nec oris, sicut statuunt Sociniani Calvinianorum pulli. Ecqvibus enim verbis instituisset Dominus manducationem corporis sui, nisi illis, Edite, hoc est corpus meum! Atqvi his instituit non nisi manducationem signi corporis, hoc est, panis. Nulla ergo relinqvitur manducatio corporis Christi sive oralis sive spiritualis per fidem. Nec est, qvod dicant, signa non esse vacua rebus signatis, sed eas habere connexas. Respondemus enim, nos verba institutionis reqvirere, qvibus Christus jussit manducare & bibere res signatas. Nulla enim consequentia: Christus jussit ore manducare panem in his terris existentem, qvi est signum duntaxat corporis sui in cœlo existentis. Ergo etiam per eadem verba jussit manducare fide corpus suum. Si autem ex manducatione panis recte colligitur manducatio corporis Christi, tanqvam connexi, necessario sequitur etiam incredulos manducare corpus Christi, qvod tamen pertinaciter negant Calviniani. Secundo sic concludimus. Qvæcunq; interpretatio nihil præter nuda symbola absentis corporis & absentis sanguinis relinqvit, ea est Anabaptistica, impia, blasphema, teste Beza Epist. 5. Atqvi interpretatio Calvinianorum talis est. Ergo. Minor probatur: Qvanqvam enim amplissimis verbis protestentur & dicant Calviniani

niani Christi corpus verè, realiter (addunt nonnulli, substantialiter) adesse (subintellige fidei) tamen & hoc dicunt, id tanto intervallo â nobis distare, qvantum distat summum cœlum ab hac nostrâ terrâ. Qvod pronunciavit Beza in colloqvio Possiaceno; & pronunciare alios qvoqve omnes Calvinianos necessum est. Negant enim omnes, corpus Christi adesse in his terris: Negant corpus Christi esse in pluribus locis & præsertim illis omnibus, in qvibus S. Cœna administratur: Negant aliter in Novi Testamenti Sacramentis adesse sanguinem Christi, ac fuit præsens in V. Testamento. Vid. Calv. lib. 4 Inst. c. 14. Sect. 23. Relinqvitur ergo, qvicqvid dicant Calviniani, qvod Anabaptistæ. His adde verba Chamieri Tom. IV. lib. X. cap. IV. num. 3. *Certum, nonnullis placuisse potius, tropum statui in prædicato, ut corpus meum sit pro signo, sive sacramento corporis mei. Sed hoc redit eodem. Quamvis, si subtiliter excutiatur, videatur aliquanto alienius. Nam 1. Si accipiatur prædicatum pro signo prædicati; jam olim petra erat reapse signum Christi? Cum tamen Aug. negarit tum eam fuisse, quod est dicta. 2. Figuratum corpus non est corpus, Et sic hæc enunciatio nullum corpus Christi revera indicaret: sed aliquid ei simile, cum tamen Paulus dixerit, panem esse communionem corporis Christi. 3. Quod genus tropi erit? Non Metaphora: Non enim significaret*

id quod Christi corpus efficeret in nobis, sed aliquid potius quod panis: simile tamen: Ut cum regnū cœlorū dicitur sagena: Christus non docet, quæ sint effecta sagenæ: sed regni cœlorum. Sic cum Herodes dicitur Vulpes, hujus animalis proprietas prædicatur de Herode. Oporteret ergo vel proprietatem aliquam Christi prædicari de pane, vel inverti ordinem enunciationis, Corpus meum est hoc, ac tum metaphora esset non in corpore: sed in altero extremo. At Christi mens est, quam olim expressere multi: corpore suo nos alit in vitam æternam. Si ergo non designetur ulla proprietas panis, non potest dici metaphora. Nec dici potest esse Synecdoche: Nam tum corpus Christi sic erit tropicum vel ad se, vel ad panem. Et vel latius sumendum: vel strictius. Si ad se & latius, significabitur panem esse aliquid amplius quam corpus Christi. Sin strictius: panis non esset nisi aliqua pars corporis Christi: quod falsum. Si relate ad panem corporis synecdoche pertinet & quidem latius id interpretando; corpus Christi latius patebit, quam panis; verbi gratia si dicas, lapides esse domum: quæ tamen complectitur etiam ligna cum tegulis. Sin strictius; panis latius patebit quam corpus, ut si dicas, hos lapides futuros cubiculum tuum, qui tamen totam domum constituturi sint. Utrumvis eligas, absurdum erit. Super est Metonymia: quam si statuas in corpore, hoc oportebit dici vel de causa sua; vel de effecto, vel de subjecto, vel de adjuncto. At ratio da-

rive-

vi nequit, qua dicatur, hic panis est ea causa, quæ efficit meum corpus, putà, mater mea: vel est effectum, quod producitur à meo corpore, putà, vita æterna: vel est subjectum mei corporis: nimirum calum vel adjunctum, nimirum gloria cælestis. Imò hæc ratio non terminabit signi relationem ad ipsum corpus Christi: quod tamen necesse. Sed ad id, quò refert corpus Christi, ut rursus identica sit propositio: ut cum dicimus: Hæc tabula est Hercules: sensus est: Hæc tabula est representans tabula Herculem: ita hic panis est panis significans corpus Christi, quod accedit ad Anabaptistas, nullam peculiarem efficaciam Sacramentis adscribentes in rem significatam.

§. VII. Hæc de prædicato sufficiant. Sequitur copula, in qva Zwinglius, Chamier eosqve secutus Wendelinus improprietatem & tropum collocant. Interim de nomine & specie tropi non anxie laborandum censet Wendelinus infra resp. ad argumentum nostrum IX. Sed hoc pro nobis facit. Si enim nullus tropus est, qvi modificet copulam, utiqve in copula tropus figi neqvit. De copula loqvimur sive de est tertii adjecti, non de est secundi. In copula non est Ironia, non Synecdoche, ut fatentur omnes. Neqve est Metaphora sive tropus à simili ad simile. Nullũ enim similitudinis inter τὸ est & τὸ significat sive ratione formalis (sensus) sive ratione materialis (literarum) fundamentum.

monstrare possunt Adversarii : Imo nulla est proprietas ὅ est, qvippe communissimi conceptus : nulla ergo potest esse Metaphora Deniq; non est Metonymia : hæc enim est, cum NOMINA causæ & effecti, subjecti & adjuncti permutantur. Summa τὸ est simplissimus est conceptus, non resolubilis in alios plures, adeoq; nihil significat, sed tantum copulat, οὐδενὸς πράγματος σημεῖον ἐστι, ἀλλὰ προσημαίνει συνθέσιν ut ex lib. περ ἑρμην. cap. 2. tyrones norunt. Qvod si nihil significat, utiq; sedes tropi esse neqvit : per hunc enim significatio propria demigrat in alienam. Neqve enim tropi in verbis ponuntur, nisi ratione peculiaris alicujus naturæ, qvæ in uno verbo implicatur & non in altero. At τὸ est nihil peculiare involvit, sed id, qvod est commune rebus omnibus, neqve in plures conceptus resolvi potest. Qvi dicunt cum Cham. lib. X. cap. VII. num 8 *τὸ est æque esse compositum ac reliqua verba, puta, amat, quod resolvitur in est amans*, illos in resolutione secunda tertia &c. in infinitum ire necesse est, ut tyrones Logicæ norunt. VVendelinus dicit, *copulam conjungere vel οὐσιωδῶς cum propriè accipitur, vel σχετικῶς, cum impropriè.* Qvorum neutrum, recto stat talo. Non enim Deus est homo essentialiter vel substantialiter, etiamsi propriè

ibi

ibi capiatur copula. Nec homo est doctus, Pater, agens, patiens essentialiter, etiamsi in his τὸ est propriè accipiatur. Sed improprie accipi copulam authoritas Rhetorum gentilium, & Christianorum (qvos omnes errori suo servire stultè dicit VVendelinus) vetas. Qvin & Logici vetant, copulam statuentes tantùm esse unionem subjecti & prædicati, fecereq; ut terminus unus actu sit subjectum, alter actu prædicatum. Deniq; τὸ est apud Lucam omittitur. Non ergò potest modificari. Idem statuit Gomarus disp. XXXV. in operib. Theolog. p. 139. *Alii*, inqvit, *in copula est posita pro significat, tropum consistere arbitrantur. Verum hic modus quoq; nec Rhetoricis nec Logicis principiis, neq; confessæ metonymiæ sacramentalis hypothesi videtur congruere. Nam primo ubi non ponitur subjectum significatum pro adjecto signo, nec contra, ibi non est metonymia illa sacramentalis: Atqui ubi Est usurpatur, pro significat, non ponitur subjectum significatum pro adjuncto signo, nec contrà. E. non est Metonymia Sacramentalis. Deinde nullum Est τρίτον προσκατηγορούμενον, seu Συγκείμενον tertio loco adjectum potest esse sedes tropi. Quæ propositio ita demonstratur. Quod præter temporis circumstantiam, & terminorum connexionem sive affirmationem attributi de subjecto, nullam rem significat, illud*

non potest sedes esse tropi. Atqui Est *tertio loco adjectum, præter temporis circumstantiam & terminorum connexionem (unde verbalis copula dici solet) nullam rem significat. E. Est tertio loco adjectum non est sedes tropi. Propositionem allata è Quintiliano tripi definitio confirmat. Assumptionem Aristoteles docet; & simplicitas illius copulæ demonstrat: quia omnia verba in illam, & in rem aliquam (ex quibus duobus significatio Eorum conflata est) resolvuntur.* E g. VIVIT, SIGNIFICAT *In illo enim complexum* EST VIVENS, *in hoc verò* EST SIGNIFICANS. Non tamen desunt VVendelino rationes, qvibus probare conatur copulam improprie accipi posse. Prima ducitur ab exemplis & locutionibus Sacramentalibus: *Circumcisio est fœdus, Agnus est pascha seu transitus, Petra erat Christus, septem vaccæ septem anni sunt.* His adde exemplum, qvod habet infra resp. ad arg. nostrum IX. *Verbum amare est diligere, hoc est, significat diligere.* Resp in genere. Etiamsi in his omnibus propositionibus τὸ Est idem esset ac significat, tamen adhuc argumentatio bona non esset. Posito, ibi significativum sensum esse, perperam tamen inde colligetur, verba institutionis sic esse capienda. Hæc enim simplicem continent propositionem, in qvâ ostendit Christus, qvi sit cibus, qvis potus, qvi in sacramento porrigitur, non autem qvid vox panis

nis significet & præfiguret. Non ergo valet argumentum à particulari. Adde manifestam esse dissimilitudinem inter locutiones Sacramentales & non Sacramentales interq; Sacramenta V. T. significativa & figurativa & N. T. qvo tempore omnes figuræ sunt abolitæ & deletæ superveniente corpore Christo. In specie circumcisionem qvod attinet, manifesta est dissimilitudo inter Sacramentum cœnæ, qvod constat materia cœlesti & terrena, ita qvidem, ut secundum adversarios cœlestis prædicatur de terrena, & circumcisionem, cujus materia terrestris est abscissio præputii, cœlestis ipse Christus, qvorum alterum de altero non prædicatur. Neq; uspiam in scripturis dicitur, circumcisio est fœdus aut est tantùm, signum fœderis. Cum sic orditur Deus Genes. XVII. 7. *Hoc est fœdus*, non intelligi debet de præputio tantum, sed sunt hæc verba generale exordium totius ordinis, qvi ex parte Abrahami est conditio fœderi adjecta, cujus pars prima Deum concernit semet Abrahæ obligantem, & fœdus cum circumcisione conjungentem: eo ipso enim qvo qvis circumcidebatur, in fœdus Dei recipiebatur, habebatur obsignationem promissionis divinæ de fœdere gratioso & memoriale qvod de receptione in fœdus capere debebat ex amputatione præputii. Alii dicunt diversimode accipi

vox fœderis, unde diversæ emergunt propositiones. Si enim dicas: Circumcisio est fœdus, vox fœderis accipitur pro instrumento, per qvod voluntas Dei gratiosa explicatur, adeoq; Sacramentum circumcisionis est fœdus effectivè, dum efficit ut recipiantur homines in fœdus, velut organon efficacissimum, vel si mavis, signum non merè σημαντικὸν sed μεταδοτικὸν atq; προσφερόμενον. Si autem dicas, circumcisio est signum fœderis, ibi fœdus significat ipsam Dei de fœdere gratioso voluntatem & promissionem, cujus applicationem circumcisio obsignat. Roman. IV. 11. Alteram propositionem, Agnus est transitus, qvod attinet, manifestum est eam esse ἄγραφον & propterea ad probandum inidoneam. Nonnulli per vocem Pesach intelligunt transitionem, qvod festinandum erat, ut in transitu Domini per omnes angulos Ægypti percutientis primogenita Ægyptiorum Israelitis parceretur, eorumq; ædes præterirentur ab Angelo percussore vidente sangvinem agni paschatis postibus illitum esse. Ad hanc transitionem, non vero ad agnum, referendum esse demonstrativum הוא ex contextu liqvidum est. Vatabl. Pesach הוא Jehovæ, id est, imminet vel instat hora, qva Jehova est transiturus sive præteriturus vos percussis Ægyptiis.

ptiis. Nempe causa indicatur cur Israelitæ festinantes debeant edere de agno, qvi ipse Deus festinabit ad occidendos omnes primogenitos in Ægypto. Alii qvidem Pesach intelligunt victimam transitus hoc sensu: Hic ritus mactandi & manducandi agnum est singulare Sacramentum & festivitas Domini, sive Domino. Est enim hic τὸ ל: qvomodo & Chaldæus expressit est phase coram Domino. Sed qvid hoc ad thombum? Nihil hic pro analogiis significativis & metonymiis sacramentariis. In tertia Enunciatione, Petra est Christus, pariter τὸ Est non est idem ac significat. Nam in subjecto non intelligitur petra materialis, sed spiritualis conseqvens & concomitans Israelitas, ipso Paulo interprete, qvæ revera & proprie est Christus. In qvarto exemplo non intelliguntur vaccæ propriè dictæ nec anni propriè dicti sive in temporum serie decurrentes, sed imaginarii, adeoq; septem vaccæ fuere signum merè προφητικὸν, cujus visione obumbrabatur fœcunditas aut sterilitas septem annorum. Nobis nunc sermo est de propositione sacramentali eaq; realiter non imaginariè exhibitiva. Manifesta ergo est dissimilitudo. In ultimo exemplo notanda est ambigvitas vocis significat. Vel enim notat signum vel sensum. Rursum voces amandi & diligendi vel accipiuntur formaliter pro ipso

sensu

ſenſu harum vocum, vel materialiter pro ipſis apicibus & literis. Poſteriori modo amare non eſt diligere, nec ſignum eſt & diligere, ſed revera idem eſt, qvoad ſenſum nempe. Idem ergo valet ac ſi dicam: Amare eundem ſenſum obtinet, qvam τὸ diligere. Ubi hic ratio ſigni? II. Confert VVendelinus has Phraſes: *Calix eſt novum Teſtamentum in meo ſanguine, & Hoc eſt corpus meum.* Verum in priori τὸ eſt non eſt idem ac ſignificat. Neqve enim calix in ſangvine Chriſti, ſive, ratione ſangvinis Chriſti conſideratus eſt ſignum, ſed cauſa & fundamentũ N: Teſtamenti. Ubi nota, additionẽ (in ſanguine meo) non eſſe referendam eſſe ad voces ἡ καινὴ διαθήκη, nam ſic repetendus fuiſſet articulus ἡ ἐν τῷ αἵματί μου ſed ad voces τὸ ὑπὲρ πολλῶν, hoc ſenſu: Hic calix reſpectu ſanguinis, qvem modo myſtico & ſupernaturali, vere tamen, continet, eſt N. T. ſive cauſa Novi Teſtamenti. Conſiſtit enim N. T. prout contra, diſtinguitur veteri, in hoc, qvod nobis Deus bona cœleſtia, remiſſionem peccatorum & impunitatem vitamq; æternam non ſecundum modum Veteris Teſtamenti per umbras & figuras arqve ſanguinem brutorum, ſed in Chriſto ipſo per figuras V. T. adumbrato proprie in ſanguine ipſius pro nobis effuſo offert & credentibus applicat. Retorqvemus

ergo

ergo argumentum: Sicut in illa propositione: hic calix est N. T. vox calicis non accipitur pro solo vino (hoc enim non est causa Novi Testamenti) ita qvoqve in Propositione: Hoc est corpus meum, τὸ Hoc non denotat panem solum. Putant Adversarii has duas enunciationes æqvipollere: Hoc (Hoc, inqvam: minus enim convenienter vulgatus expressit, Hic) est sanguis meus N. T. & hic calix est Novum Testamentum in sanguine meo. Sed omnino differunt. Alia enim est qvæstio, cum qværo, qvid ex calice bibatur: alia qvæstio, cum qværo, qvid in Sacramentali actione calix sit. Ad priorem respondetur, bibi sanguinem. Ad posteriorem vero, calicem esse Novum Testamentum non respectu sanguinis, qvem continet, per qvem nova ratione dispensatur, offertur & applicatur remissio peccatorum & vita æterna. III. Confert locutionem Pauli: *Panis est communio corporis Christi, & Christi panis est corpus meum.* In qvibus tamen enunciationibus diversitas est, ut supra notatum. Non est locutio Biblica & Christi: Panis est corpus meum. Neqve in enunciatione Paulina τὸ Est idem est ac significat. Qvid enim esset dicere: Panis est signum communionis corporis Christi? Si inspiciamus Paulum, explicantem suam κοινωνίαν per τὸ μετέχειν I. Cor. X, 21. utiqve clarum est id, qvod

id, qvod nos volumus, eos, qvi participant de pane benedicto, participare etiam de corpore & sanguine Domini, non credentes tantum, sed & indignos, qvi rei fiunt ipsius corporis Christi. Neqve enim loqvitur Paulus his verbis de spirituali communione, qvæ ad fructum cœnæ pertinet: Qvanqvam non diffiteamur eum loqvi de spirituali communione in seqventibus. Dices indignos non edere corpus Christi, ideo qvia Paulus dicit: Non potestis participes esse mensæ Domini & mensæ Dæmoniorum: Item, unus panis, unum corpus, atqvi reprobi non pertinent ad corpus. E. Resp. τὸ non potestis non intelligendum de facto sed de jure. Sic τὸ non potest passim accipitur. Gen. 24. 50. c. 34. 14. c. 44. 26. Deut. 17. 15. cap. 21. 15. 16. Act. 4. 20. c. 10. 47. c. 25. 11. 1. Cor. 3. 11. &c. Pertinent reprobi ad corpus visibilis Ecclesiæ sicut Israelitæ, qvi sunt nube fuerunt pertinebant ad corpus populi Dei. IV. *Si τὸ ἐστὶν valet, seqvitur panem ἐσχατῶς esse Christi corpus esse alimentum hominis, Christum sumpsisse proprium corpus & fregisse, effudisse proprium sanguinem, panem esse datum in mortem, Christi corpus glorioſum etiamnum frangi, frustra nos credere rediturum Christum in hunc mundum, quippe qui jam hic est &c.* Hæc absurda laborant falsâ hypothesi. Verum est, in cœna ἐσχατῶς & substantialiter esse corpus & sanguinem

guinem Christi, at falsum panem ἀνωφελῶς esse corpus Christi. Concedimus ὑπαρκτικῶς & sacramentaliter panem esse corpus Christi sc. per realem adessentiam sive præsentiam, sed panem non abstracte sed ἐν ἐνώσει spectatum. Non fregit Christus corpus suum, sed panem, non effudit in cœna sanguinem, non est panis datus in mortem, sed corpus. Concedimus ipsissimum corpus Christi, qvod jam amplius non frangitur, sic tamen exhibetur in cœna, ut ejus olim fracti memoria perenniter emineat, & ipsissimum Christi sanguinem, qvi pariter hodie non effunditur, sic tamen bibitur, ut ejus olim effusi memoria recolatur, esse nostrum acceptabile omnesq; supergrediens delicias alimentum. Qvod de reditu ad judicium dicitur, non pugnat gloriosus visibilis & illustris ille actus cum peculiari actu adessendi in cœna. Utrumq; Christus jussit & edere corpus suum in cœna idqve in terra (nam in cœlo non celebratur sacramentum) & credere se crediturum ad judicium. Hic qvoqve ut in aliis mysteriis, stupeat ratio sileat judicium. Innitamur evidentiæ sacri textus, qvem Deus nobis gratiose indulsit, non ut crucem nobis figeret, sed ut nostram firmaret fidem. Simplex fides, optima fides: scrupulosa pessima. Veritatis simplicitas per scrupulositatem plerumq; fide nutat: Tertull. ad Nation.

Nation. lib: 2. cap. 3 De Thoma agens Chrysostomus, *quemadmodum*, inqvit, *simpliciter & ut contigit credere, felicitatis est:* ita πέρας μέτρου περιεργάζεσθαι καὶ πολυπραγμονεῖν, παχυτάτης διανοίας, *præter modum inquirere & curiosius investigare, crassissimæ mentis.* De eodem tractans Amnonius in caten. Græc. Patr. in Joh: ὑπὲρ μέτρον πολυπραγμονήσας, *supra modum operose curiosius, quod rem impossibilem existimaret reprehenditur, quia non dixit solum, nisi videro, verum etiam, nisi palpavero ne forte phantasma sit quod videtur.* Eodem morbo laborant Calviniani. V. *Dum dicitur, Panis est corpus meum, Calix est Novum Testamentum, prædicatur disparatum de disparato. Ergo non potest esse locutio propria.* At non prædicatur in sacro codice corpus de pane. Cum dicitur Calix esse Novum Tastamentum est locutio complexiva exhibens per id, qvod continet id qvod continetur, cui similis est illa: sanguis est anima carnis Lev. XVII. qvia est vehiculum animæ. Et posito esse hic aliqvam improprietatem, usitatissima ea est, & non solum à Luca περεχυννόμενον in sanguine meo, sed & ab aliis Evangelistis explicata. At vero est poni pro significat, vel corpus pro signo corporis est à scriptura alienum, nec talis improprietatis vel in Evangelistis vel in Paulo ullum vestigium apparet.

paret. Qvod de enunciatione, Deus est homo, subnectit Wendelinus, ineptum est. VI. Denuo urget *impropriętatem in voce calicis*. Sed de hoc dictum est. Et debebat probare Wendelinus τὸ est idem esse ac significat. Non enim qværitur an in Lucâ & Paulo alicubi qvædam impropriętas in recitatione verborum institutionis occurrat. Qværitur de enunciationibus: Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus. Hæc propriè capienda dicimus.

§. VIII. Argumenta nostra pariter & Pontificiorum recensęt Wendelinus, & suis elidere responsionibus allaborat. Rem, qvantum licebit, in compendium conferemus. Primo loco Wendelinus ponit rationem hanc: *Interpretatio retinens propriam verborum Christi* significationem congruit cum mente & voluntate Christi. Ergo ea est retinenda. *Excipit istam sequi multa absurda antea memorata*. Sed meminerit, ob absurdũ rationis in articulis fidei à litera non esse recedendũ. Alias peribunt summa Religionis Christianæ mysteria. II. Interpretatio literalis retinet promissionẽ & exhibitionẽ corporis & sanguinis Christi. Excipit Wend. *Christũ non promisisse præsentiam sui corporalem, sed spiritualem tantùm*. At hoc est petere principium, omnino promisit præsentiam sui corporalem, si rem spectes, (de modo corporali non loqvimur) ut

verba institutionis evincunt. III. In nullius Sacramenti institutione est à propria verborum significatione recedendum. Excipit Wendelinus, *in omnibus fermè sacramentis improprias reperiri locutiones, ut in circumcisione, Agno paschali, ipsoq; adeò Sacramento cœnæ, v. g. cum calix dicitur Novum Testamentum, cum ponitur continens prò contento, cum corpus dicitur fractum, cum panis dicitur communio corporis Christi, calix communio sanguinis Christi, cum jubemur bibere poculum, cum panis dicitur corpus, cum Christus dicit se bibiturum vitis fructum novum in regno patris sui.* De circumcisione & Agno Paschali modo dictum. Reliqvas locutiones qvod attinet, sunt eæ omnes usitatæ, adeoqve si improprietas qvædam apud unum occurrit, eam vel ipse vel reliqvi pertinus explicant. Calix dicitur Nov: Test: usitata apud Orientales phrasi, cujus generis multa in sacris occurrunt, ut, cum Deus dicitur salus nostra, fortitudo nostra, hoc est, causa salutis & fortitudinis nostræ. Continens poni pro contento usitatissimum est. Qvod Paulus dicit corpus impropriè fractu, puta in cruce (ad hanc enim respicit non ad panis fragium) eam reliqvi improprietatem explicant, cum dicunt, corpus esse traditum in mortem, puta acerbissimam crucis. Enunciationes: Panis est communicatio sive medium communicativum corporis, & calix est me-

est medium communicativum sanguinis Christi, sunt a limæ & satis claræ, aut, si qvid minus usitatum aut clarum, id ab ipso Paulo explicatum dum κοινωνίαν explicat per τὸ μετέχειν, ut antea observatum. Sensus harum enunciationum ex ipsis relucet Institutionis verbis, nec alius potest esse, qvam hic: Participatio panis est participatio corporis Christi, participatio vini est participatio sanguinis Christi. Nuspiam in scripturis panis dicitur corpus, nec uspiam in scripturis vox corporis ponitur pro signo corporis. Reliqva non pertinent ad substantiam Sacramenti Cœnæ, de qvâ nunc unice qværitur. IV. Verba institutionis sunt verba Testamenti & per consequens proprie atqve ut sonant accipienda. Excipitur, *à Testamentis nec divinis, nec humanis abesse solere voces impropriας.* Sed, qvanqvam in Testamentis forte locum habere possint impropriæ voces, necesse tamen est improprietatem esse talem, qvam admittit communis loqvendi usus. At in testamento poni corpus pro signo corporis, nullus loqvendi usus admittit. Solent adversarii opponere locum Jerem. XXXI. 31. seq. Testamenta Jacobi, Mosis, Josuæ, Davidis, qvæ multa impropria continent. Wendelinus provocat ad verba Luc. XXII. 29. Exerc. 97. pag. 155. Verum aliud est describere fœdus, aliud sancire & promulgare. Illud fit

qvandoq; verbis impropriis; At ad promulgationem verba propria requiruntur. Jacobi & cæterorum Testamenta non sunt propriè dicta Testamenta; potius vaticinia & adhortationes sunt qvam Testamenta. In loco Lucæ omnia manifestam & obviam habent explicationem, nulli obnoxiam contradictioni. V. Qvi loqvitur figuratè, author est eorum erroris, qvi errant in intelligendo. Adeoqve tum valet illud Lutheri: Si deceptus sum, Christus me decepit. Excipitur, *falsum id esse, nec v. g. Anthropomorphitas propterea excusabiles, quod ex tropicis Scripturæ de Deo locutionibus suam hæresin hauserint.* Limitamus majorem: Qvi loqvitur figurate, & tales qvidem adhibet figuras, qvas nullus loqvendi usus admittit, is author est erroris eorum, qvi in intelligendo errant. At sic nihil pro Anthropomorphitis. Oculum enim verbi gratia pro perspicacia, brachium pro fortitudine poni, non est præter usum loqvendi. Et debuissent ex aliis Scripturæ locis, qvæ Deum testantur esse Spiritum, non habentem carnem & ossa &c. explicationem impropriarum enunciationum promere. Lutheri vox plenissima est fidei & πληροφορίας, nec nova. Similia sunt verba Hilarii lib. 6. de Trinit: pag. 67. *Ignosce omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, nec commori possum: tardè mihi hos impiissimos quantum*

ego

ego arbitror, doctores etas nunc hujus seculi protulit. Et mox: *Et in eo me judica, si crimen mihi est, nimium me per filium tuum & legi, & Prophetis & Apostolis credidisse.* Et illa Richardi de sanct. Victor. lib 1. de Trinit. *Domine, si error est, à teipso decepti sumus. Nam ista tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per teipsum fieri possunt, & certè à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa & authentica attestatione probata teipso cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* His gemina sunt verba Zanchii Epist. Dedicator. libr. de Tribus Elohim: *Errare non potui, tuum ô Domine Jesu Christe purum putum sequendo VERBUM nisi tu quoque per Apostolos docendo aut erraveris ipse, aut me fallere volueris. Sed neque error in te tuamq; doctrinam cadere potest; neque tu potest quempiam fallere, sicut neque falli.* Quod si qui falluntur, suo vitio falluntur, quippe qui falli volunt: dum verbi tui puritate non contenti, sua illud sibi tenebricosa carnis sapientia, obscurum obtectumq; reddunt: corde à te aversi, quidvis aliud in scriptis, quam te quærentes. At quibus cor à te conversum est, & te unam quærunt, in simplicitate sermonis tui acquiescentes: ij, utpote libenti naturali velamine per Spiritum tuum, errare de verbis tuis fallere non possunt. Quid verò si (ut quod omnino ἀδύνατον) quid inquam, si ego comm te convincar [illegible] omine Jesu, erravisse, quia & ideo totu

cum tua Ecclesia tuum simpliciter verbum secutus sum, numquid propterea hujusce me erroris debeat pœnitere? Certè non potest, malo enim simplici tuo verbo duce errasse, & errando te, ut verum Deum glorificasse: quam humano ingenio eruditus, tuum sermonem in fraudem honoris tui glossando plus quam postulabat pietas, sapuisse: & plus sapiendo, re minus, quam aut doctrina tua postulare mihi videbatur, aut meus erga te amor, & tua, in quam me retepisti amicitia flagitabant, honorasse. Hæc Zanchius contra Antitrinitarios. VI. Christus mortivicinus finem imposuit figuris. *Distinguit* Wendelinus *inter figuras verborum & rerum. De hac concedit rationem nostram, non de illa.* At non tantum in verbis, sed in rebus ponuntur figuræ, dum panem dicunt esse figuram corporis Christi &c. Et hæc figura analogiam habet cum figuris V. T, manna & similibus qvæ clariores & expressiores fuerunt figuræ, qvam panis & vinum. Seqveretur ergo, noctem fuisse clariorem, qvam diem. Concedimus nos cum Patribus, Panem dici posse figuram corporis Christi, sed negamus esse tantum figuram corporis Christi absentis. Id nemo Patrum asseruit. Notanter Damascen. lib. 4. de O. F. cap. 8. *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc, sed & ipsum corpus Domini deificatum.* Negamus in Lucæ verbis: Hic calix est

Novum

Novum Testamentum, figuram sanguinis intelligi posse. Nam sic qvoqve calix Veteris Testamenti repletus sanguine hircorum esset Novum Testamentum, qvandoqvidem & ibi erat figura sanguinis Christi, eaqve multo illustrior, clarior & evidentior, qvam in Vino. VII. Institutus est Cœnæ sermo de re obscura, necessarius ergo fuit sermo proprius & perspicuus. Excipitur, *opponendo verba: Hic calix est N. T. quæ sint de re obscura, interim impropria.* Sed qvid tum postea: Sunto impropria, modo sint perspicua, vel ab aliis divinæ mentis interpretibus perspicuè explicata. Clarissimè Marcus postqvam memorasset, omnes bibisse è calice, verba Christi subjungit, hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qvi pro multis effunditur. Ubi nota Marcú aperte dicere eos bibisse de calice. Qvid autem biberint, exprimit Christus Veritas ipsa, cum inqvit, hoc est sanguis meus. VIII Christus morti fuit vicinus: qvare propriè & perspicuè est locutus, ut intelligi posset. Excipitur *opponendo verba: Si hoc fit in viridi ligno, quid fiet de arido*: item, *Johannes est filius Mariæ, Maria mater Johannis.* Sed & hæc satis sunt perspicua. De locutione proverbiali res manifesta est. Vocabula matris & filii latissimè patent in communi loqvendi consuetudine. IX. In hac enunciatione: Hoc est corpus meum, & subjectum

& prædicatum propriè accipitur. Ergo est enunciatio tota propria. Excipit Wendelinus, *proprietatem enunciationis non solum esse æstimandam ex subjecto & prædicato, sed & ex copula.* Transigat ergo cum universo Rhetorum cum vetustorum, tum recentium, cum gentilium tum Christianorum choro. Sed & cum Logicis ævi recentis & prisci transigat, de qvibus supra dictum. Nugæ Wendelinianæ per se evanescunt. Qvia tamen sunt inter Reformatos præcipui, qvi tropum in prædicato collocant, corpus interpretantes signum corporis, nec hos indefensos relinqvere Wendelinus voluit. Ad argumentum nostrum: id intelligitur per prædicatum, qvod pro nobis in mortem traditum. Atqvi non signum corporis pro nobis est traditum. E. Excipit Wendelinus, *verba illa, quod pro vobis est traditum, non pertinere ad integrum prædicatum, sed ad partem prædicati, hoc sensu: Hoc est signum corporis mei pro vobis traditi.* Sed hæc somnia sunt & perversiones textus sacri. Si ad eum modum velimus ludere in mysteriis, de illis actum erit. Cæterum transigat Wendelinus cum Christo. X. Perspicua sunt Christi verba: Hoc est corpus meum. Ergo proprie interpretanda. Excipitur, *etiam impropria verba esse perspicua.* Qvod verum est, si improprietas cum vulgari loqvendi consuetudine concordat. At remotissimum

est à

est à loqvendi usu, si corpus ponatur pro signo corporis. XI. Verba Testatoris, relinqvo tibi domum, non licet sic interpretari, relinqvo tibi signum domus. Excipit Wendelinus, *esse dissimile exemplum. Christum enim dixisse, panem esse corpus suum, quod non aliter accipi possit, quàm de signo. Quod si testator ad exemplum Christi porrecta Testamentaria tabula, ad hæredem diceret: En hæc est domus, quã tibi relinquo, nemo tam esset simplex, qui non intelligeret, testamentariam tabulam non esse ipsam domum, sed tantum modo signum legatæ domus.* Sed in his manifesta est dissimilitudo. Qui dispositionem de ædibus hæredi tradit, non dicit, hoc sunt ædes meæ. Neqve Christus dixit, panis est corpus meum, sed hoc est corpus meum, ut si testator diceret, ite hæredes, habitate, hoc, qvod in illo loco videtis, est domus mea, qvam in vestrum commodum ædificavi, hoc est testamentum meum, qvod moriturus condo. XII. Ad imperitos nemo utitur tropis. Excipitur, *id de talibus imperitis esse intelligendum, qui tropi non sunt capaces.* Limitamus assertionem nostram: ad imperitos nemo utitur tropis inusitatis & à familiari sermone abhorrentibus. XIII. Leges à prudentibus legislatoribus latæ non sunt tropicæ, sed perspicuæ. Excipitur, *etiam tropos esse perspicuos.* Sed tales, qvorum significatio obvia est & extrivio hausta.

At corpus poni pro signo corporis nec est ab usu sermonis Ebræi nec Ebraizantis. XIV. Articuli fidei proponuntur verbis perspicuis. Verba sacramenti sunt articuli fidei si non credendi tantum, tamen practici, qvi crediti ulterius ad opus & praxin Christianam diriguntur. Excipitur, *protevangelium continere articulum fidei, verba tamen esse impropria.* Respondeo, articulos fidei proponi verbis propriis, usitatis, notis & apertis. Neqve enim ex solis figuris & allegoriis potest constitui & comprobari dogma. Aut ergo negandum, articulum de cœna esse articulum fidei cum Poliandro lib. de Evchar. cap. 12. aut fatendum cum aliis Calvinianis verba sacramenti esse articulum fidei & dicendum alicubi propriis & usitatis verbis esse propositum. At id non factum in verbis Institutionis, si Reformatos audimus. Monstrent ergo alium Scripturæ locum, in qvo apertis verbis hic articulus sit expressus. In Protevangelio sunt qvidem verba impropria, sed talia, qvorum significatio non debet longè peti. Sed & alibi ponuntur propria, ut cum dicitur destruxisse opera Diaboli. XV. Signum & signatum de se mutuo non prædicantur in casu recto. Exceptio Wendelini ex supra dictis diluitur.

§ IX. Pergit Wendelinus & vult evincere duo consectaria seqvi ex sententia nostra. 1. *Nos non*

non retinere τὸ ῥητὸν. 2. Nostram interpretationem esse falsam. Primum inde seqvi, *quia nosmet ipsi fateamur, hoc idem esse ac cum, in, sub hoc.* At sic nulla fit mutatio significationis nativæ & propriæ in alienam. Est enim pronomen δεικτικὸν exponendum per vocabula sive particulus unionem inferentes, qvales sunt, in, cum, sub hoc. Hujus expositionis fundamenta monstrat ipse Spiritus Sanctus, ut, cum Hic, puta Filius hominis, dicitur Deus, id Paulus explicat, Deus est in carne, in ipso habitat tota plenitudo Deitatis. Eadem est ratio propositionis illius, cum viso Spiritu Sancto sub specie columbæ, dicere Johannes potuit: Hoc est Spiritus Sanctus. Qvod Levit. XVIII. dicitur vers. 14. sanguis est anima, id explicatius dictum vers 11. Anima est in sanguine. Juvat hic audire Pelargum. Qværit in Compend. Theol. Loc. 23. q. 8 p. 471. *Cur particulis* IN, CUM, SUB, *quidam usi, quas etiamnum hod e usurpamus? Resp. 1. Ut his particulis veram testarentur præsentiam corporis & sanguinis Dominici, quanquam sine inclusione, affixione, & fictitia consubstantiatione. Deinde ut illis removerent omnem transubstantionis Papisticæ imaginationem; nec signum converti ac commutari in rem signatam, nec contra: sed utrumq; i. e. signum & signatum conjungi sacramentaliter, alterumq; alteri adesse sive cum signo, aut* SUB *pane offerri verum corpus Chri-*

qua Christi, & eum vel in vino exhiberi ejus sanguinem profitemur. Tertiò, ut veterum sequerentur locutiones, cujusmodi non raro occurrunt, in quibus hæ etiam usurpatæ particulæ. Aug. ad Neoph. Hoc accipite IN pane, qvod pependit in cruce; & accipite IN calice, qvod est effusum ex latere. *Tract. 26. in Joh.* Christus corpus & sanguinem IN iis rebus commendavit, qvæ ad unum aliqvod rediguntur ex multis. *Cyprian lib. 2. ep. 3.* Non potest videri sanguis ejus, qvo redempti & vivificati sumus, esse IN calice, qvando vinum desit calici, qvo Christi sanguis ostenditur. *Chrysost. hom. 24 in ep. 1. ad Cor.* τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ἐστὶν ἐκεῖνο ἐστὶ, τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκεῖνα μετέχομεν. Id, qvod est IN calice, est id, qvod fluxit à latere & illius sumus participes. *Item hom. 24* CUM illis rebus, qvæ videntur, SIMUL adesse creditur corpus & sanguis Christi *In 1. Cor. 10. p. 178.* CUM calice in enarrabilia Dei beneficia & qvæcunq; consecuti sumus, adimº Qvanqvam in Græco Paulo aliter legitur. *Ambros. de myst. c. 9.* Nos verè SUB mysterio carnem corporis sui sumimus. *Ibid.* SUB utraqve specie totus sumitur Christus. *Bernhard. de Cœna Dom.* Qvod videmus species est panis & vini: qvod sub illa specie credimus, verum corpus & verus sanguinis Christi est. Hactenus Pelargus. Lutherus in Confess. fol. 440. diserte asserit *separatum esse*

esse abstinere ab illa particula, si aliud quid per eas de-notetur, quàm quod verba Christi perspicue denotant. Legantur & ejusdem verba in libro daß die Wort enoch feste stehen pag. 354. Es erklähren sich die Heydelberger/ ob sie gläuben daß Christi Blut/ so am Stamm des Creutzes vergossen ist/ aus dem Kelche getruncken werde/ so wird wegen der Worte In vel Sub sich aller Streit verliehren/ inqvit Lælius in Crit. sid. pag. 360. Qvod de Synecdoche Lutheri dicitur, proprie loqvendo nulla hæc est figura vel Rhetorica vel Grammatica. Interim reverà in subjecto Hoc est Συνεκδοχὴ (etymologicè) sive complexio qvædam, adeoqve τὸ Hoc complectitur, duo, unum in casu recto, alterum in casu obliqvo, ad instar terminorum concretorum v. g cum dico, homo est albus, τὸ albus duo importat subjectum & formam. Et qvia id, qvod in casu recto ponitur, idem est cum subjecto, inde vera hæc est enunciatio, Homo est albus. In omni enim vera propositione copula identificat prædicatum cum subjecto, nempe qvantum ad id, qvod ponitur in casu recto, non autem qvantum ad id, qvod ponitur in casu obliqvo. Neqve enim dicere possum, homo est albedo. Sic in præsenti negotio, Hoc est corpus meum, τὸ Hoc complectitur duo, unum in casu recto, alterum in casu obliqvo. In casu recto importat ipsum corpus, in obliqvo panem, hoc sensu:

Qvod

Qvod cum pane accipitis, comeditis, hoc est corpus meum. Eadem est ratio in vulgatis exemplis, si qvis dicat in porrecto alabastro, hoc est unguentum, porrecto poculo, hoc est vinum &c. *In his exemplis τὸ* Hoc duo involvit, unum in casu recto, contentum nempe, alterum in casu obliqvo, nempe continens, hoc sensu: Id contentum, qvod est in alabastro, est unguentum. Porrò, interpretationem nostram repugnare τῷ ῥητῷ probat Wendelinus inde: *Quia Christus intelligit corpus suum, quod verè est naturale, visibile, palpabile, finitum, justa sua quantitate & figura præditum, unoq; & certo loco circumscriptum. Corpus autem quod Lutherani credunt adesse, non est naturale, visibile* &c. Respondeo. Qvanqvam qvalitates naturales corporis corpus Christi glorificatum non habeat, inde tamen non esse concludendum desiisse verum & naturale ipsius corpus: Nam & corpora glorificata non habent easdem nobiscum qvalitates, neqve tamen amiserunt naturam corporis. Interim actu primo corpus Christi manst visibile, palpabile, manst finitum & circumscriptum interne. De comestione corporis Christi, qvod subnectit Wendelinus, infra discutietur. Qvod si adversarii ad naturales rationes exigere omnia volent, proximum est, ut pereat tota ratio sacramenti, cujus tamen, qvanta omnibus seculis fue-

lis fuerit veneratio, ei, qvi in historia Ecclesiastica non est plane hospes, ignotum esse neqvit. Utinam Tropistæ qvievissent! utinam verbo Dei sua manusset sinceritas! Utinam mysteria tanta adoranda non rimanda nulla contaminasset curiositas humana! Utinam nihil additum, nihil detractum, nihil depravatũ fuisset, adversatiorũ glossis! Nempe his debentur Ecclesiæ calamitates, non σὺ φταῖς. Notatu digna sunt verba D. Calixti in animad. ad Conf. Thorun. p. 46. *Si nihil hic aliud fuerit, quã ut panis ejusmodi sit Symbolum, non opus fuisse peculiari aliquâ Christi institutione, sed ab Ecclesia potuisse tale sacramentũ institui, quemadmodum eadem instituit, ut baptismo jungatur unctio, quæ itidem virtute operis peracti nullum cœleste & spirituale donum confert, vel supernaturalem effectum habet, sed saltem significat, quod qui baptizantur constituantur Reges & Sacerdotes Deo. Hi enim interventu unctionis olim consecrabantur.* Animadverto M. Anton. de Dominis idem observasse lib. VI cap. 5. n. 20. Ponemus, *inquit*, nos nobis instituere, ut panis semper significet corpus Christi, ita, qvoties comedimus panem, toties in memoriam revocemus, Christum pro nobis satisfactum esse carnem. *Quam deprimat igitur & omni sublimitate ac propemodum dignitate spoliet, & in censum rerum vulgarium, non modò contra communem veterum, sed ipsius Calvini sententiam redigat,*

digat, manifestum est. Recte autem superioribus suis subjunxit M. Ant. de Dominis: Sed efficere, ut panis ita sit nobis signum corporis Christi, ut in ipsius comestione ipsum verum & reale Christi corpus intra nos per divini Spiritus operationem recipiamus, qvis adeo impius sit, qvi in humani intellectus ponat potestate Wendelinianam Συνουσίαν optime refellit Salmasius lib. de transubst. pad 509. *Non est hæc consubstantiatio vel* Συνουσία, *& perperam inde* συνουσιαστὰς *vel consubstantiatores plerique nuncupant.* Συνουσία *esset, si ex duabus substantiis unam mixtam & temperatam facerent, aut si duas substantias in uno loco ponerent. Sic* Συμψυχία *est cum veluti una anima duo corpora reguntur* κατὰ σχέσιν καὶ ἀγάπην. Ita & συναστρία *dicitur duorum, qui unum habent nativitatis suæ horoscopum, & sub eadem constellatione geniti sunt. Ita consubstantiatio vel* συνουσίωσις *est duarũ substantiarum velut in unum commixtio, non id vero est, quod sentiunt Lutheri sectatores, qui duarum substantiarum duobus suppositis distinctarum coexistentiam statuunt. Quæ* συνύπαρξις *est potius duarum* οὐσιῶν *quàm* συνουσία *vel* συνουσίωσις. Tandẽ probare Wendelinus vult, interpretationem nostram esse falsam. Rationes adducit has. I. *In baptismo non est sanguis, E nec in cœna.* Qvid Gutrobiq; dicamus esse sanguinem Christi? Est enim

enim in baptismo sacrosancta Trinitas, est ibi Christus Deus & homo, purificamur sanguine Christi. Unde consequitur sanguinis Christi præsentia, ea tamen non naturalis, sed supernaturalis. Tacemus, diversam esse rationem baptismi & cœnæ. Neque de aqua baptismi dicitur, quod si sanguis Christi, neque id dicenti Wendelino credimus. Monstret locum Scripturæ & sic respondebimus. II. *In verbo suo Christus non promisit corporalem præsentiam ante judicium ultimum* &c. Non sunt opponenda, reditus Christi ad judicium & præsentia Corporis Christi in cœnâ. Utrumq; credendum est, quia utrumq; credi jubet Christus, quia omnia, quæ vult, potest efficere. Sed de reditu ad judicium infra agendum. Loca, ad quæ digitum intendit Wendelinus perverruntur. Loca Matth. XIIX. XXIIX. temere restringuntur ad præsentiam divinæ gratiæ vel naturæ, ut ostensum capite præcedenti. Quod attinet Paulum, observandum, quod Paulus ex apparitionibus, quæ describuntur Act. IX. XXIII. &c. probet Christum verè resurrexisse. I. Cor. XV unde concludimus, Christum apparuisse Paulo in proprio corpore, in quo resurrexit, alias apparitio non fuisset idonea & sufficiens probandæ resurrectioni Christi. III. *Christi corpus est finitum. Ergo non est in pane, ubicunq; administratur cœna.* Fru-

ſtra opponitur finiti corporis ratio verbis inſtitutionis. Tutius audimus Chriſtum loqventem qvam rationem obloqventem. Idem tenendum contra. IV. *Si Chriſti corpus jam eſt corporaliter ſub pane & ſanguis ſub vino, ſequitur in cœna vel ſanguinem â corpore Chriſti ſeparari, vel ſub pane eſſe corpus & ſanguinem ſimul & ſub vino corpus & ſangninem ſimul.* Nobis religioſe premuntur verba inſtitutionis, in qvibus diſtincte Chriſtus voluit edi corpus & bibi ſanguinem. Neqve hic curamus diſputationes de exſangui corpore & paſſione &c. Non enim qværitur an corpus ſit mortuum, corpus ſine ſanguine, ſed hoc qværitur qvid Chriſtus porrecto pane edi & è calice bibi voluerit. Ad hanc qvæſtionem non poteſt reſponderi ex unione naturali vel perſonali ſed unice ex verbis inſtitutionis. Nondum erat mortuus Chriſtus cum prima cœna adminiſtraretur, & tamen dicit, edite, bibite &c. Tranſigant Adverſarii cum Chriſto. De corpore Chriſti glorioſo mox agetur. V. *Si Chriſti corpus eſt ſub pane, ſub pane frangetur, dentibus comminuetur & in ſtomachum trajicietur.* Fatemur, Chriſti corpus eſſe ſub pane & cum pane edi. Sed addimus, edi non Phyſicè & immediate, ſed mediate pane benedicto, interim verè & propriè, ſi rem ſpectes, non autem ſi modum rei. Hæc enim diſtinctiſſima ſunt. Verè & propriè

Maria

Maria gestavit Deum & Hominem, sed non eo modo Deum, qvo hominem. Accidentia manducationis panis, qvæ naturaliter contingunt pani post oralem perceptionem, corpus Domini non tangunt. VI. *Si Christus in cum & sub pane est, utiq; in cum & sub pane est adorandus.* Eadem hæc est consequentia cum illa: Deus est in homine pio. E. Deus cum homine pio est adorandus. Interim, qvia ubivis est Deus, ubivis etiam est adorandus. Sacramenta media sunt perveniendi ad objectum adorandum, non autem ipsa objecta sunt adoranda. Obsignamus hanc Thesin verbis Justini & Cyrilli Hierosolymitani. Ille sic ad Ant. Apol. sub finem scribit: *Non ut communem panem ista sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ vocantur Evangelia, ita tradiderunt, præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum.* Hujus Catech. Mystagog. IV. sunt ista: *Cum Christus ipse hic affirmet, ac dicat de pane, Hoc est corpus meum,*

quis deinceps audeat dubitare? ac eodem usque confirmante & docente, Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet & dicat, non esse illius sanguinem? Ne ergo consideres tanquam nudum panem & nudum vinum: corpus enim & sanguis Christi est secundum Dominicam assertionem. Quamvis enim sensus tibi hîc suggerit, tamen fides te confirmat, ne ex gustu rem judices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem Christi.

THESIS II.

Verum & naturale Christi corpus; verus item & naturalis Christi sanguis ore corporis accipiuntur, adeoq; corpus propriè mediante pane comeditur, sanguis propriè mediante vino bibitur.

§. I.

Cùm propriè manducari corpus Christi dicimus, non intelligimus manducationem Capernaiticam aut Cyclopicam lanienam, qvâ caro Christi instar vitulinæ dentibus atteratur, per guttur in ventrem trajiciatur, in ventre digeratur &c. Neqve enim physico modo præsens est corpus Domini, ut physice manducari possit. Jubeatur ergo exesse talis manducatio oralis

oralis, qvalem dicitur Nicolaus Papa dictasse Berengario confitendam, qva corpus Christi arteratur dentibus & in stomachum demittatur. Nostra sententia est, qvam Thesis expressit, cui magno conatu contradicunt Adversarii. Admon. Nestod. pag. 103. statuit *ore corporis nihil sumi in cœna Domini præter panem & vinum:* pag. 109. *omnem ingressum substantiæ carnis Christi intra hominum corpora quamvis subtilem, spiritualem, cœlestem, supranaturalem vel contranaturalem arcanam & incomprehensibilem cum verbo Dei pugnare* censet. Conf. Orthod. pag. 97. statuit *figuram externo sacramenti usu corpori & sensibus præsentem esse & offerri, veritatem vero fide & intellectu virtute Spiritus in verbo contingere & accipi.* pag. 138. *corporalem & externam in mysterio Cœnæ institutum manducationem non posse ex serie verborum proprie intelligi de ipsomet corpore Christi, quasi simul & cum pane realiter dato: non enim dixisse Christum: Hoc est corpus meum accipite & manducate illud, sicut hæc quidam improba falsitate rudi populo intelligenda proponunt.*

§ II. Wendelinus C. T. Lib. I. Cap. XXIII. Thes. XVII. *monstros ũ judicat & infelix esse dogma oralis manducationis: hanc esse solã & unicam disjunctionis Protestantiũ causam: huic statuminando accersitũ esse prodigiosum ubiquitatis dogma, imo ipsum Eutychianismum invectum: hanc esse fundi Evangelici calamitatem: hanc si Deus averruncaret,*

Ecclesiæ pacem & concordiam redonaret. Contra falsum hoc dogma pugnamus, inqvit, (videamus qvibus armis & qvam feliciter) *sequentibus argumentis. I. Christus jam corpore suo non est in cum & sub pane. Ergo in cum & sub pane non manducatur.* Invertimus atgumentum: Christus in cum & sub pane manducatur, Ergo jam corpore suo est in cum & sub pane. Prius infra uberius probabitur. II. *Manducatio oralis est impia, quia est* ἀνθρωποφαγία: *est impossibilis, qua sinita caro omnibus manducantibus non sufficit, nec omni loco, ubi Cœna administratur, adesse potest: est inutilis, quia caro Christi nihil prodest.* Joh. VI, 63. Hæc somnia & portenta verbis Christi opponuntur. Ἀνθρωποφαγία Capernaitica impia est, nec à nobis illi ullum patrocinium. Augustini verba Capernaiticæ lanienæ, qvam & nos detestamur, oppositæ sunt. Sic enim scribit lib. 3. doctr. Christ. cap. 16. *Cum facinus aut flagitium videantur jubere verba Joh. 6. Nisi manducaveritis &c. figuratam locutionem esse, qua præcipiat passioni Domini esse communicandum & suaviter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* Et nos fatemur figuratam esse locutionem Joh. 6. atqve de spirituali manducatione sermonem esse. Qvod de impossibilitate dicitur, nihil est. Apud Deum non est impossibile ullum verbum Luc. I, 37. Potest

Deus

Deus ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσῶν νοεῖν. Eph III, 20. Qvod de utilitate dicitur, gratis dicitur. Prodeſt oratis manducatio corporis Chriſti divinâ præſentiâ in Cœna præſentis nobiſcum communicati, ut medium efficaciſſimũ offerens, obſignans, corroborans. Et qvamvis nulla alia utilitas eſſet, maxima tamen eſt obedire Chriſto & captivare ſub fidei obſeqvium rebellantem rationem. Ad qvam pertinet conſolatio crucifixionis & trucidationis, item ſepultura intra viſcera, communicantium impiorum &c. Wendeliniana. Hæc Deo reliqvimus examinanda atqve vindicanda. Ut & illud, qvod impurum os Wendelini Neſtorium ſecuti non dubitavit evomere: Caro Chriſti nihil prodeſt. Neqve enim in Johanne de carne Chriſti ſermo eſt, ſed de iis, qva non carnaliter accipiunt, qvæ dicuntur, ut rectè rem explicat Chryſoſt. hom. 46. in Johann. Adde Auguſt. tract. 27. in Johan: Et hanc expoſitionem inſpectio textus firmat. Subjungitur enim: verba qvæ loqvor Spiritus & vita ſunt. Præceſſerat verſ. 51. Panis, qvem dabo eſt caro mea, qvam dabo pro mundi vita. Expende, qvæ ſeqvuntur. Neqve Johannis cap. VI. agitur de Cœnæ Sacramento, ut ipſe agnoſcit Chamier Tom. IV. lib. XI. cap. III. ſeqq. Temporis hiſtoria non permittit, ut ibi dicatur agi de Cœna, qvæ non-

dum erat instituta. Tum diversæ sunt enunciationes: Caro Christi est panis, &, hoc est corpus meũ. Deniq; apud Johannẽ edere carnem Christi & bibere ejus sanguinem semper est salutare. At in cœna etiam editur & bibitur ad judicium. Interim non negamus, Christum præludere Joh. VI. voluisse instituendæ Cœnæ, nec dubium, qvin concio illa ad Sacramentum Cœnæ accommodari possit & qvidem ad uberiorem explicationem verborum Cœnæ: Hoc facite in mei recordationem, qvæ faciunt ad fructum Cœnæ, non autem eorum, qvæ pertinent ad Sacramenti Cœnæ substantiam, qvalia sunt, Edite, hoc est corpus meum &c. Qvare argumentum III. Wendelini nos non ferit. IV. Si *corpus Christi propriè oraliter & corporaliter manducaretur, utiq; dentibus comminueretur & in stomachum trajiceretur.* Notanda est ambiguitas phrasis, oraliter, propriè & corporaliter edere. Vel enim de objecto intelligitur, vel de modo. Si de illo, verum est, oraliter & propriè edi ipsissimum corpus Christi. Si de modo, falsum est modo naturali & corporaliter edi. Absurda, qvæ convehuntur, modum seqvuntur manducandi physicum & naturalem, qvem nos rejicimus. Non evanescit corpus Christi, non retinetur in ore sine pane, non cum pane in ventrem dimittitur, sed ubi ore percipitur, nobis cedit in spiritua-

lem

lem communionem, nec ventrem ingreditur sed mentem fidelium. Infideles medium qvidem Sacramentale accipiunt, sed excidunt fine nempe spirituali communione ob incredulitatem. Qvod si aliqvid volunt obtinere Calviniani, probandum ipsis erit, nullo modo aliqvid ore & proprie manducari posse, nisi physicè manducetur. Neqve sufficiunt exempla è naturâ petita. Sic enim periret Trinitas, periret incarnatio, periret generatio Filii, qvæ proprie generatio est, minimè tamen est physica vel naturalis Luc. XXIV. Christi comedentis exemplum proponitur. Nemo hanc comestionem dixerit physicam actionibus & accidentibus naturalibus constantem. Neqve valet consequentia: Editur, ergo comminuitus & integrum esse desinit. Multa enim viva & integra propriè comeduntur. *Sic non methaphoricè Jonam Cete devoravit & pisces minores integri comeduntur. Nec sequitur mors, nisi ubi fit concoctio & digestio, qui finis est proprius comedentium: Sed ita proprius tamen, ut per accidens possit esse nullus. Nam nec Jonas vitam amisit, etsi verè & propriè devoratus: & pisces integri in intestinis aliorum reperti vivi educi sæpè possent, si id maturè fieret.* Chamier. Tom. IV. lib. XI. cap. XI. num. 13. V. *Si corpus Christi in prima institutione fuisset corporaliter in cum & sub pane, & oraliter ac propriè cum eo manducatum*

ducatum esset, utiq; Christus ipse suum corpus oraliter manducasset, quando panem manducavit. Non legitur in Evangelistis, non in Paulo, Christum manducasse panem sacramentalem. Distinguenda est Cœna paschalis, cujus pars fuit Christus, à Cœna Dominica, cujus non se sed discipulos participes fecit. VI. *Oralis manducatio corporis Christi est Capernaitica. Capernaitæ existimabant, Christum jubere comedere carnem suam modo naturali physico, sicut aliæ carnes solent devorari.* Qvibus non sunt dissimiles Calviniani, in qvantum existimant ore corporis Christi carnem edi non posse, nisi simul modo Physico & naturali comedatur. Nos qvi Capernaiticum illud Qvomodo testamur, procul à Capernaismo absumus. VII. *Si discipuli in primâ institutione corporaliter & oraliter Domini corpus edissent, eodemq; modo sanguinem bibissent, bis mortuus fuisset Christus, semel in administratione Cœnæ, & iterum in crucifixione. Fieri enim naturaliter non potest, quin vivum esse corpus desinat, à quo sanguis separatur.* Rursus confunditur modus cum reipsa. De illo nulla, de hac sola controversia est. Non seqvitur; Christi corpus comederunt discipuli. Ergo Christus tunc mortuus fuit. Sicut non seqvitur: Christi corpus hodie comedimus, Ergo Christi corpus hodie moritur. In mysteriis non est attendendum ad id, qvod naturaliter si-

ve per

ve per vires & modum naturæ fieri potest vel non potest, sed attendendum ad id, qvod revelat divina voluntas conjunctam habens potentiam infinitam, longissime superantem omnes natura vires & modos. IIX. *Unio corporum nostrorum cum Christo non est corporalis, Ergo nec manducatio. Quia ex manducatione oritur unio.* De unione mox dicetur. Falsum est, ex manducatione sacramentali semper oriri unionem. Valet id qvidem in fidelibus, qvi essentiam Sacramenti & fructum simul percipiunt, non autem in infidelibus, qvi substantiam qvidem Sacramenti percipiunt, non autem fructum. IX. *Christi corpus glorioſum amplius non patitur, Ergo corporaliter & oraliter jam manducatur.* Responsum est ad objectionem VII. Crambe bis cocta mors est. X. *Si glorioſum Christi corpus una cum ſanguine corporaliter esset in cum & ſub pane & vino & promiſcuè ab omnibus ore perciperetur, ſequeretur etiam ab impiis deglutiri, idemq; Christi & Belialis esset templum.* Iterum negamus, modo Physico & naturali corpus Christi manducari. Panis manducatur modo Physico: at corpus modo hyperphysico. Uni⁹ enim & indivisæ ejusq; propriè sic dictæ manducationis duplex est modus, sicut unius gestationis, qva Θεάνθρωπον gestavit Maria, unius lotionis in Baptismo, qvam efficit unio aqvæ cum Spiritu Sancto, unius dationis

Spiritus

Spiritus Sancti mediante igne duplex modus apparet. Nec seqvitur, impii accipiunt corpus Christi. Non enim ubi Deus est, continuo seqvitur, ibi esse Dei templum. Deus omnia replet, & præsens est in omnibus creaturis, at non omnes creaturæ sunt Dei templum. Templum enim non definitur qvacunq; præsentia, sed præsentia peculiari, gratiosa, glorioſa. Videntur Adversarii nobis affingere qvasi statuamus panem & corpus Christi esse unã massam, unũ corpus, unam buccellam ex hostiâ & corpore Christi, qvale est artocreas Sed non protinꝰ unũ corpus fiunt, qvæ sunt unita supernaturaliter. Nisi qvis Filium Dei apparentem in V. T. in forma viri, aut Spiritum S. apparentem in specie columbæ in unum corpus ex Filio Dei & forma viri ex Spiritu Sancto & forma columbæ conflatum compingere velit. XI. *Christi corpus jam est ubiq;, est ante acceptum panem Eucharisticum in pane ex hypothesi ubiquitatis. Ergo frustra instituit Christus Sacram Cœnam.* Ubiqvitatem illam, qvam nobis affingunt Calviniani, detestamur. Divina præsentia qva adest Christus sedens ad dextram DEI universaliter omnibus creaturis, non est opponenda præsentiæ singulari, eiqve non locali naturali humanæ, non definitivæ aut Angelicæ, sed prorsus divinæ & singularissimæ, qva adest in Cœna. Ratiunculæ humanæ nullis

subnixæ

subnixæ scripturis, qvales Wendelinianæ fuerunt, frustra mysteriis opponuntur. Qvod de origine calamitatum, qvas patitur Ecclesia, garrit Wendelinus, Th. I. §. 2. 9. disploſum est. Manducatio sacramentalis qva formam & ex se contradistincta est bibitioni. Bibitio enim reqvirit rem liqvidam & potulentam tantum, sine additamento rei esculentæ. Et ex hoc fundamento rejicimus abusum vini Evcharistici, qvatenus vel panis in illud intinctus exhibetur, vel in vinum panis immittitur, ut cochleari una cum vino hauriatur &c.

§. III. Succedunt argumenta Wendelini pro speciali manducatione contra manducationem oralem. I. *Corpus in cœna non editur oraliter.* Falsumid est Jubemur enim manducare. At omnis manducatio est cordis, sive fit ore. Adeoqve juxta propriam significationem intelligenda est de ore corporis. Loqvimur de proprietate Grammaticæ significationis. Qvod si esset manducatio intelligenda spiritualis in verbo edite, tum geminum sensum una vox haberet, & inanis esset verborum Christi Τυβλογία: Facite hoc, qvotiescunqve manducaveritis, in mei commemorationem, hoc est, in mei manducationem manducate. Æqvipollent enim recordari & spiritualiter manducare. II. *Unio nostri cum Christo non est corporalis. Ergo nec manducatio.*

Falsum

Falsum est antecedens, si de substantiali propinqvitate carnis Christi accipiatur. Christus enim non tantum qva Deus, sed & qva homo nobis unitur tum extra sacramentum, tum in Sacramento. Gratiosa enim Christi præsentia in cordibus fidelium est δοτικὸν μέρος officii Christi secundum utramq; naturam. Nec tantum secundum divinitatem sed & secundum humanitatem personaliter & efficax ad operandum fidem per verbum & sacramenta. Deniqve secundum utramq; naturam creditur in Christum. Ergo secundum utramq; in nobis habitat. III. *Fames cibus &c. sunt spirituales, Ergo etiam ipsa manducatio est spiritualis.* Idem argumentum valet contra verbum Dei. Nempe in verbo proponitur cibus spiritualis laborantibus fame spirituali. Et tamen his non obstantibus verbum externo aurium instrumento percipatur. Sic etsi concederemus, in cœna proponi cibum tantum spiritualem, nondum tamen inde seqveretur, hunc cibum non posse instrumento corporis, ore scilicet, percipi. Sed falsum, hunc cibum tantum esse cibum animæ: corporis etiam cibus est, facitq; corpus nostrum beatæ particeps immortalitatis, secundum illud Joh. VI. Qvi carnem meam manducaverit, is in me est & ego in ipso, & resuscitabo eum in die novissimo. Et ex hoc Cœnæ fructu Valentinia-

tinianos redarguit Irenæus lib. 4. cap. 34. & evincit, *quia caro Christi, quæ in cœna comeditur, est vivificatio, etiam comedentis eam corpus fore immortalitatis particeps, nisi ipse manducans hunc impediat effectum impœnitentia & infidelitate.* IV. *In prima cœna non comederunt nisi spiritualiter Christum discipuli. Si enim corporaliter, utiq; trucidassent Christum:* Apage has nænias! responsum est §. præcedenti. V. *Qualis est unio membrorum, talis est unio cum Christo. At illa non est nisi spiritualis, unio enim hæc est Catholica respectu omnium fidelium, qui unquam fuerunt, sunt, erunt.* Unio membrorum. Ecclesiæ inter se & cum Christo fit vel communiter per fidem, vel singulariter, dum unum numero corpus comedunt fideles, & sic unum cum Christo redduntur. *Neque enim tantum participando neque tantum accipiendo communicamus, sed etiam ita, ut uniamur cum Christo, Sicut enim corpus unitur cum Christo, ita & nos unimur illi per hunc panem, quæ est κοινωνία & communicatio corporis Christi,* ut præclare rem, ut solet, explicat Chrysost. in I. Cor. XI. Unio qvæ tantum fit fide citra carnem Christi Arianum delirium est, qvod B. Cyrillus pugnere cum sacris scripturis docet. Verba ejus lib. X. in Johannem cap. 13. hæc sunt: *Quoniam nulla nos ratione humanitati Christi posse ista attribuere dicit, quoniam fide atque dilectione non carne illi conjungimur,*

mur, age pauca de eo dicamus, ac perversè ab eo Sacrarum literarum sensum exponi ostendamus. VI. *Antiquitas non agnovit nisi spiritualem.* Falsum id est. Nec sequitur: Tertullianus, Basilius, Macarius, Cyprianus, Augustinus spiritualem manducationem inculcant, & Capernaismum damnant. Ergo oralem manducationem rejiciunt una cum unione Sacramentali, quæ distincta est ab unione spirituali. Notanter Cyrill. lib. X. in Johan. cap. XIII. inquit: *Non negamus, rectâ nos fide, caritateq; sincera Christo spiritualiter conjungi; sed nullam nobis conjunctionem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idq; à divinis scripturis omnino alienum ducimus.* Irenæum modo laudabamus. Is lib. 5. adv Valent: non procul ab initio docet *ex corpore & ex sanguine Christi in Eucharistia mediante verbo unitis cum pane fracto & calice, augeri & consistere carnis nostræ substantiam.* *Quomodo*, inquit, *negant carnem esse capacem donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum ejus est.* Hilarii lib. VIII. de Trinitate verba sunt: *Cur gradum quendam ac ordinem consummandæ unitatis exposuit* (Christus) *nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum ineffe mysterium crederetur. Hæc vero vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manen-*

manentem per carnem (non ergo tantum per Spiritum) *Christum habemus.* Cyrill. Alexandr. in Joh. lib. X. c. 13. *Tum etiam, an fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis sit, nonne* CORPORALITER *quoq; facit communicatio corporis Christi Christum in nobis habitare. Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum esse in nobis, verum etiam participatione* NATURALI. *Sicut quis liquefactam ceram aliæ ceræ liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utriusq; factum videatur: ita communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est & nos in ipso.* Chrys. in Matth. hom. LI. *Non vestes, non calceamenta, sed seipsum tibi tradit, ut tangas, comedas & in te habeas.* Item: *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim cædi, sed nos secum in unam, ut sit dicam, massam reducit.* NEQVE ID FIDE TANTUM, SED REIPSA *nos corpus suum efficit.* Grego. Nyss. in Orat. Catechet. cap. 36. & 37. *Quemadmodum parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud, quod à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atq; commutat.* Cyrill. Hieros. Catech. 4. docet, *nos* χριστοφόρους *esse atque divinæ naturæ consortes fieri, cum Christi corpus & sanguinem in membra nostra recipimus & sic ipsi concorpores & consanguines reddimur.* Damasc. lib. III. de imag. *Homines,*

mines, inqvit, *participant & communicant divinam naturam, quotquot accipiunt ſanctum Chriſti corpus, & bibunt illum ſanguinem. Noſtra enim natura beneplacito & contactu Dei eſt facta Angelis major.* Ad hæc rectius intelligenda confer, qvæ §. præced. ad object. IV. & ſupra ad object. II. dicta ſunt.

§. IV. Seqvuntur argumenta pro manducatione orali, qvorum examen aggreditur Wendelinus, & nonnulla excipit, qvæ propulſanda ſunt & vindicanda. I. Argumentum noſtrum eſt: Verba edite bibite propriè accipiuntur, ergo propriè editur corpus, propriè bibitur ſanguis Chriſti. Hæc enim verba non tantum ad panem & vinum, ſed & ad corpus & ſanguinem referuntur. Excipitur, τὸ *edere & bibere, ſi ad panem & vinum referatur, propriè capiendum, ſi autem ad corpus & ſanguinem, impropriè.* Voci ſemel poſitæ non poteſt duplex aſſignari ſenſus, ſicut id contra Pontificios ipſi defendunt Calviniani. Et confundit Wend. diverſas propoſitiones: Edite hoc eſt corpus meum, & hoc facite in mei commemorationem. Prior ad Sacramenti ſubſtantiam, poſterior ad uſum pertinet, nec tantum ad τὸ edere, verum etiam ad accipere, benedicere, imo ſi Calvinianos audimus, etiam ad τὸ frangere. Summa, diſtinguit Chriſtus rem faciendam, ab eo, cujus gratia fieri debet.

ri debet. Res facienda est id qvod fecit Christus ut benedicens & dans, & qvod fecerunt Apostoli ut accipientes. Finis hanc celebrationem consequitur. II. Manducatio fit ad memoriam, Ergo non est spiritualis. Hæc enim non fit ad memoriam, sed est ipsa memoria. Excipitur, *distinguendo manducationem sacramentalem á manducatione Spirituali.* Recte. Additur, *non quamvis manducationem corporis Christi in institutione præceptam fieri ad memoriam. Nam & spiritualem præcipi in verbis Institutionis.* Negamus, in verbis institutionis, edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus, spiritualem manducationem & bibitionem manducari. Hoc demum fit in clausula: hoc facite in mei commemorationem. Qvæ verba ad institutionis Cœnæ essentiam non pertinent, ut ex Matthæo & Marco, qvi hæc omisere, liqvidum est. Nisi dicere velint adversarii, discriptionem institutæ Cœnæ, prout á Matthæo & Marco facta est, mancam & mutilam esse. III. Manducatio figurata non vivificat, sed vera. Excipitur, *etiam figuratam Joh. VI. esse veram.* Manducatio figurata, hoc est, talis, qvi constat figuris & signis, non vivificat in veritate, sed saltem in figurata. Id est, non vivificat ex sese & per sese, sicut de figuris Veteris Testamenti pronunciat Apostolus Ebr. IX, 9. Manducatio spiritualis fit sine

symbolo externo per fidem, impropriè qvidem, vere tamen. IV. Christus verum suum corpus verè manducandum exhibet, Ergo oraliter. Excipitur, *vere præsens esse, verè manducandum exhiberi, sed non oraliter, verum per fidem.* Qvæ argutia mirabilis est, dicere, corpus Christi verum naturale verè præsens, vere manducandũ exhiberi in Cœnâ, & tamen ore non manducari, nec manducari posse, qvasi tu dicas, corpus Christi esse præsens in Cœna, qvod tamen infinitis myriadibus miliarium ab ea abest, & manducari corpus; cum tamen nihil præter panem manducetur ore corporis. V. Manducatio panis est κοινωνία corporis Christi. Ergo manducatur corpus oraliter. Excipitur, *panem dici κοινωνίαν sacramentaliter, quia est signum corporis pro nobis traditi & fide manducandi, Paulinam enunciationem esse impropriam.* Concedimus esse impropriam locutionem, si Latine efferas, panis est communio corporis Christi. Interim satis propria est locutio, si sic efferas: panis est communicativus corporis Christi, hoc est, medium est, per qvod & cum qvo communicatur corpus Christi. Et sic significanter explicatur atqve ad mentem Pauli. Dilutum vero est & inefficax dicere, panem esse κοινωνίαν corporis, hoc est, esse signum corporis Christi pro nobis traditi & fide manducati. Paulus enim generaliter pronunciat,

panem

panem benedictum esse κοινωνίαν corporis Christi: ad significandi hæc vis non est universalis, sed restricta ad credentes. Sed & in his nulla est vis significandi. Panis non potest significare, corpus Christi pro nobis in mortem traditum. Qvid enim hæc traditio ad panem? Nullum hic vestigium ullius significationis in pane occurrit. Neqve panis potest significare, corpus Christi à nobis fide manducari. Hoc enim non ex pane sacramentali, sed ex sensu fidei secundum Calvinianos colligitur. Ubi nullus est fidei sensus, ibi nec significatio panis. Qvin &, ubi est fidei sensus, panis illa significatio exulat. Solus qvippe fidei pietati junctæ sensus ex mente Calvinianorum notificat fidem, unde ex hoc solo fundamento petunt argumenta pro certitudine electionis & salutis, non autem è Sacramentis. Vide Wendel. lib. I. cap. 3. thes. XIX. Conf. Exercit. VII. §. 7. 8. VI. Per carnem Christi non tantum animæ nostræ, verum etiam corpori contingit immortalitas beata. Ergo est etiam oraliter manducanda. Excipitur, *etiam per spiritualem manducationem corpori immortalitatem dari: oralem manducationem præcisè id non præstare: ei nullam promissionem factam.* Concedimus, etiam per spiritualem manducationem dari immortalitatem. Concedimus, oralem manducationem sine spirituali non

li non prodesse, sed obesse. Negamus autem orali manducationi fidelium nullam promissionem factam. *Qui* enim *servat verbum Dei, ad eum tota Trinitas veniet, & mansionem apud eum faciet.* Joh. XIV, 23. Et verba mandati, accipite, comedite, annexam habent promissionem corporis pro nobis dati &c. Conf. Hopfn. Isag. part. I. pag. 408. VII. Instrumentum manducationis corporis Christi in Cœna est os corporis. Manducatio enim in Cœna non est spiritualis. Tum illud est corporis Christi percipiendi instrumentum, qvod etiam incredulis est commune. Deniqve Christus pane dato dicit esse corpus suum, neqve jubet aliter edi panem, aliter corpus. Excipitur, *in legitimo Cœnæ usu manducationē corporis Christi omnino esse spirituale, instrumentum percipiendi corpus Christi etiam esse illud, quod credentibus est proprium, jubere Christum edere panem cum fideli recordatione corporis sui, hoc ergò accipi fide, illum ore, scripturas esse conferendas, ubi non occurrit expressa distinctio.* Confunditur substantia Sacramenti cum ejus usu legitimo, ut sæpius dictum. Falsum est, aliud esse instrumentum percipiendi corpus Christi in cœna, qvam os corporis. Perceptio fidei extra rationem & essentiam sacramenti est. Falsum est, Christum jubere edi panem tantum cum fideli recordatione corporis sui. Neq; enim

enim Christus jubet edi præcisè panem, sed hoc qvod est corpus Christi. Deinde non dicit, hoc facite in corporis mei commemorationem, sed in mei commemorationem, hoc est interprete Paulo, in mortis meæ commemorationem. Deniqve non est distingvendum, ubi non distingvit Scriptura. IIX. Si in sacramento Cœnæ non comeditur oraliter corpus Christi, sequitur eandem esse efficaciam sacramenti paschatos & Cœnæ. Excipitur, *eandem esse efficaciam quoad speciem non autem quoad gradus.* Imò etiam qvoad gradus. Qvod non negabit, qvisqvis consideraverit, Paschatos sacramentum multo evidentius, clarius & efficatius signum continuisse crucifixi corporis Christi, qvàm panem & vinum. vid. thes. III. §. 4. Si manducatio in cœna est spiritualis & Metaphorica, etiam corpus est Metaphoricum. *Hoc non sequitur,* inqvit Wendelinus. Transierit ergo. Concedunt Theologi nostri manducationem sacramentalem & spiritualem convenire ratione objecti eatenus, qvatenus & spiritualis manducatio occupatur circa ipsum corpus & sanginem Christi fide manducandum & bibendum: qvanqvam eatenus sit discrepantia, qvatenus insuper totus Christus & deitas ac anima & universa Christi beneficia in spirituali manducatione implicantur. Hæc enim per fidem fit, qvæ primo

actu (qvem notitiam vocant) Christū totū respicit, respectu personæ & officii; ultimo autem actu, qvē apprehensionē vocant Christi utramq; obedientiam amplectitur. X. Si alia ratione in Cœnæ usu non uniremur cum Christo, qvàm spiritualiter, frustra est instituta Cœna. Qvia etiam sine usu Cœnæ Christo unimur per fidem. Excipitur, *unionem, quæ extra Cœnam fit, usu Cœnæ legitimo fieri arctiorem.* Qværo, qvis sit legitimus Cœnæ usus? Sine dubio erit spiritualis manducatio. Seqvitur ergo, manducationem spiritualem spirituali manducatione fieri arctiorem & robustiorem. Qvo admisso, nullus Cœnæ usus supereſt. XI. Unio inter panem & corpus Christi est corporalis. Excipitur, *etiam inter corpora esse posse unionem spiritualem, ut in sanctorum communione.* Sed de hoc dictum §. præced. XII. In Cœna est miraculum ergo non sufficit participatio Spiritualis. Hæc enim est sine miraculo. Excipitur, *distinguendo vocem miraculi.* Esto. Neqve nostri Theologi statuunt hic esse miraculum propriè dictum. XIII. Indigni sunt rei corporis & sanguinis Domini, Ergo ipsum corpus Christi oraliter edunt & bibunt ejus sanguinem. Qvæ hic excipit Wendelinus, examinabuntur thesi IV.

THE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0252
DFG

THESIS III.

Corpus & sanguis Christi verè & substantialiter sunt præsentia in Sacra Cœna.

§. I.

HUic thesi, qvæ fluit ex præcedenti (qvod enim comeditur, id ori præsens esse necessum est) certatim contradicunt Calviniani. Admonit Neostad-pag 47. *Res significatas corpus & sanguinem Christi, non nisi ex manu ipsius Christi per fidem & Spiritus S. efficaciam in cordibus percipi* ait. Conf. Orthod. statuit p. 112. *non alio modo præsens in Cœna credi posse corpus Christi, nisi quatenus verè percipitur ut spiritualis animæ cibus ad vitam.* Privatorum Doctorum verba nihil attinet huc adducere: est enim res tota manifesta. Wendelinus lib. I. cap. XXIII. thes. XVI. acriter dimicat adversus corporalem præsentiam corporis & sanguinis Christi in cum & sub pane & vino. Cujus heterodoxiam anteqvam profligemus & orthodoxiam stabiliamus, unum duximus monendum. Cum realiter & substantialiter præsens dicimus corpus Christi, nos minime statuimus impanationem, inclusionem corporis Christi, in existentiam & consubstantiationem (hi enim omnes modi sunt physici) sed dicimus esse præsens modo supernaturali. Qvanqvam

vero Theologi noſtri veteres ſicuti modum aliqvem ponere interdum videntur, ſecundum qvem præſens ſit Chriſtus, non tamen eorum intentio eſt, hujus myſterii modum ſcrutari, ſed corporis aſtruere præſentiam. Sic cum dici ſolet, In, cum, ſub pane accipi corpus Domini, non eſt mens noſtra modum oſtendere, ſed tantum præſentiam, qvæ vix videtur aſtrui poſſe, qvin ſimul aliqvis modus videatur aſtrui. Abſit autem, ut intelligamus ullum modum corporalem phyſicum ſive localem aut localem inclusionem ſive deliteſcentiam. Particula *cum* notat unionem ſupernaturalem: *in*, unionem intimam: *ſub* arcanam & incomprehenſibilem.

§. II. Wendelinus operoſus & prolixus eſt in oppugnanda theſi noſtra. Primo dicit, *eam pugnare cum natura ſacramentorum in genere, qua non ſunt vaſa gratiæ vel rerum ſignaturum, ſed ſigna & ſigilla tantum.* Sed meminerimus, Sacramentorum generalem naturam eſſe æſtimandam & conſtituendam ſalva ſpeciali Sacramentorum natura in ſcripturis expreſſa. Nihil hic fingendum, aut ex cerebro humano in ſcripturas intrudendum. Scriptura nuſpiam tradidit generalem Sacramenti naturam. Fruſtra ergo ad hanc provocat Wendelinus. Concedimus, Sacramenta non eſſe vaſa phyſica, qvibus inſit gratia ad eum modum, ſicut balſamum eſt in pyxide.

pyxide. Concedimus esse sigilla, sed addimus totum Sacramentum, prout constat materia terrena & cœlesti, esse sygillum. Nam res cœlestis est testimonium divinum de facta per Christum redemptione. I. Joh. V, 8. Jungenda ergo hæc est terrenæ, ut sic totum Sacramentum fiat signaculum sive sigillum. Seorsim enim id res terrena præstare neqvit. Neqve enim externa circumcisio σφραγὶς: illa enim non efficit nisi Judæum ἐν τῷ φανερῷ. Rom. II, 28. Addenda ergo virtus divina fundata in promissione fœderali. Neqve agnus Paschalis nisi cum respectu ad Christum signaculi vim obtinere potest. Adeoqve semper hic implicatur res cœlestis. Eadem ratio baptismi, in qvo non sola aqva sed cum re cœlesti conjuncta obsignat. Et hæc qvidem nos haud inviti concedimus, qvæ adversarii salvis suis hypothesibus de absoluta electione & reprobatione asserere neqveunt. Qvam enim efficacia mortalis, qvam unicè assignant Sacramentis, minimeq; idonea sit ad obsignandum, evictum dedimus Exercit. IX. §. 12. Augustini definitionem, qva Sacramenta vocat *signa visibilia invisibilis gratiæ*, non arbitramur esse accuratam, eo qvod non est ex ipsis internis causis & constitutivis Sacramentorum deprompta. Interim facile largimur, totum Sacramentum esse signum gratiæ, negamus

mus autem materiam terrenam esse signum mere significativum materiæ cœlestis, qvanqvam fateamur ita esse significativum, ut prius sit exhibitivum, qvalia signa olim fuere flamma in rubo ardenti, columna ignis & nubis, species corporalis columbæ, anhelitus Christi discipulos afflantis, ignis Pentecostalis. &c. Dixerat supra Wendelinus, *phrasin Sacramentalem esse, qua externis symbolis tribuuntur nomina rerum signatarum, quia significant & obsignant res signatas.* Sed hæc nullo sufficienti exemplo potuit probare. Adde τὸ obsignare res signatas plane accidentaliter & contingenter secundum Calvinianos competere externis symbolis. Neqve enim reprobis qvicqvam obsignant. Unde manifestum est, Augustini descriptionem Sacramentorum minime essentialem esse. Hæc enim ex iis constat, qvæ necessario & per se insunt. II. *Pugnat cum prima Cœnæ administratione, in qua ipse Christus mensæ assedit, nec potuit esse sub pane, quem frangebat.* Invertimus argumentum hoc: Si tunc, cum assedit mensæ Christus, non obstante trina dimensione & visibilitate corporis, potuit dicere, accipite edite corpus meum, multo magis id jam præstare poterit, postqvam est evectus ad dextram Dei Patris. III. *Pugnat cum fine institutæ Cœnæ, qua est recordatio. At hæc absentium.* Falsum id est. Recordatio & signa possunt esse

rerum

rerum præsentium. Arca V. T. erat memoriale Dei præsentis. Circumcisio signum justitiæ præsentis. Columna nubis, rubus ardens, mons fumans signa præsentis Dei. Adde qvod in Cœna recordario fieri jubeatur mortis Christi, qvæ non jam præsens est sed præterita. IV. *Pugnat tum scopo Christi, qui vult manducari corpus,* QVATENUS *est crucifixum. Porro corpus Christi, quod sub pane esse potest, esse invisibile &c. adeoque non humanum, non ergo pati posse. Lutheranos exhibere corpus gloriosum & impatibile.* Atqvi τὸ qvatenus nusquam in verbis institutionis comparet. Neqve enim articulum præpositum vel nomini vel ejus determinationi licet per qvatenus explicare, I. Cor. XV, 37. Τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον non est corpus qvatenus generabitur. Neqve Joh. III, 13. 16. ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, & υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ licet per qvatenus est in cœlo, & qvatenus est unigenitus explicare. Non ergo articulus præpositivus sumendus distributivè pro qvatenus, sed definitivè pro qvod ipsum, Eben der Leib/der für Euch gegeben wird. Vid. Höpfn. part. I. pag. 36. seqq. Sed ponamus τὸ qvatenus hic locum obtinere. Seqvetur, totum corpus Christi ἀοράτως esse in Cœna. Tali enim ratione in mortem traditum est. Neqve seqvitur, Christus dixit, edite hoc est corpus meum pro vobis traditum. Ergo noluit exhibere corpus

pus sub respectu miraculosæ conceptionis, unionis cum λόγῳ, unctionis, exinanitionis, resuscitationis, exaltationis. Qvasi hæc inter se pugnent, ac non potius amicissimè conspirentur in eodem corpore, qvod edere jussi sumus. De corpore Christi visibili & invisibili antea dictum. Et manet corpus Christi visibile (actum primum hæc vox notat) etiamsi in Cœna actu secundo non videatur. Fuit patibile actu primo, & passum est actu secundo, utut hodie non amplius patiatur vel moriatur. Rom. V, 10. V. *Pugnat cum natura veri corporis, quod est visibile, palpabile, circumscriptum, everti veritatem humani corporis πολυπαθείας sive multipræsentia.* Mansit & manet corpus Christi visibile & palpabile actu primo: Mansit & manet finitum & circumscriptum. Nec ulla involvitur contradictio; cum dicitur corpus Christi non circumscribi in Cœna, & esse præsentiâ prorsus divina in omnibus locis, ubi Sacra Cœna secundum institutionem Domini celebratur. Corpus enim est substantia: esse qvantum, in loco &c. Sunt accidentia qvæ substantiam salvam relinqvunt, sive adsint sive absint. Deinde si Deus potuit naturam humanam exuere modo existendi substantiali, ipsa natura salva manente, qvanto minori negotio modus existendi accidentalis vel auferri vel suspendi potest? Deniqve non magis natu-

rale

rale est corpori esse in loco, qvam esse in tempore. Qvod si ergo posterius abesse à corpore potest, imo in futuro seculo aberit, cur non etiam prius. Et qvid opponimus ratiunculas fidei mysteriis, qvæ non capimus, prout ipsi fatentur Adversarii, qvi si ad eum modum perrexerint mysteria exigere ad normam rationis, vicerint Sociniani. VI. *Pugnat cum natura glorioſi corporis, quod amplius pati aut edi nequit.* De his satis dictum est. VII. *Pugnat cum ascensione Christi in cœlum & manſione ad extremum diem.* Utrumq; verum est. Et Christus est in Cœna, qvia id dixit, & ascendit in cœlum, qvia id testatur Scriptura. Neqve glorioſus Christi ad judicium reditus pugnat cum ejus adesſentia in Cœna Vid. dicta de persona Christi §. 28. VIII. *Pugnat cum expreſſis ſcripturæ teſtimoniis, quæ dicunt, Chriſtum reliquiſſe mundum, non ſemper eſſe apud diſcipulos. Adde Ebr. IIX, 4. Si adhuc in terris eſſet, ſacerdos non eſſet. Conſentiunt Patres.* Fatemur Christum reliqviſſe mundum, reliqviſſe diſcipulos, qvoad visibilem conversationem, non autem qvoad præsentiæ gubernationem secundum illud: Ecce sum vobiscum usqve ad consummationem seculi: neqve qvoad adesſentiam in Cœna, secundum illud: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Qvod attinet locum ad Ebræos, non negatur in terris esse Chri-

Christus, sed negatur terrenus esse sacerdos, & loqvitur Paulus de modo præsentiæ, secundum qvem Levitici Sacerdotes in terra erant & terrenæ conditionis, terrena qvoqve sacrificia offerentes. At talis Christus non est, qvippe qvi & in cœlo & in terra sacerdos, qvi ingressus est cœlum per proprium sanguinem, postqvam semel se obtulit Deo Patri victimam inculpatam per Spiritum æternam. Vide Cap. VII, IIX. IX. ubi habes discrimen sacerdotis ἐπουρανίων Christi, & Sacerdotum Leviticorum terrenorum. Nempe Christus non debuit esse Sacerdos eo tempore in terris, qvo Leviticum Sacerdotium secundum legem administrandum erat. At nunc præstantius consecutus est Sacerdotium & æternum, qvo umbras Sacerdotum Leviticorum desinere oportuit & spes melior introducta est. Qvod si velimus locum hunc intelligere de substantiali præsentia, seqveretur, Christum qvâ Deum, qvi cœlum & terram substantiali adessentia replet, Sacerdotem non esse, & qvâ hominem demum cœpisse fieri Sacerdotem, qvando terras reliqvit, nec in novissimo die post reditum ad judicium amplius futurum Sacerdotem. Qvorum illud Socinianum est, hoc electorum introductioni in sancta sanctorum modis maximis repugnat. Patres si audimus rem totam ex animi sententia confectam habebimus. Nec

est qvod

est qvod recensendis eorum verbis operosius immoremur. Videantur nostri Chemnitius, Gerhardus, Calixtus, Höfnerus, Dorscheus aliiq; Sufficiant ii, qvorũ dicta jam allegavimꝰ: Justinus, Irenæus, Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, aliiq; Patrum præstantissimi, qvos audivimus præsentiam corporis Dominici in Cœna invicto verborum pondere astruentes.

§. III. Porrò Wendelinus probat præsentiam corporis Christi in Cœna esse spiritualem. Rationes sunt hæ: I. *Christus corpore suo in Cœna adest non corporaliter, Ergo spiritualiter.* Atqvi adest corporaliter (rem spectando, non modum) Ergo non spiritualiter. Illud hactenus ex verbis institutionis est evictum. II. *Qualis unio membrorum, talis est præsentia. Atqui unio membrorum cum Christo non est nisi spiritualis. Ergo.* Negatur Minor. Subordinata non sunt opponenda. Per fidem unimur Christo extra Sacramentum, & in sacramento eidem unimur tum fide tum perceptione corpore & sanguinis ipsius. Si dicas, tantũ fide nos uniri Christo, usum sacramenti penitꝰ abolebis, neq; relinqves veram præsentiã corporis Christi in Cœna, qvod est contra Calvinianos, docentes corporis Christi veram præsentiam in Cœna. Dices cum Wendelino: *Etiam spiritualem præsentiam esse veram: I. Quia causas habet reales, Spir. S. fidem*

symbola. II. Quia effectum parit realem, nempè unionem cum Christo. III. Per præsentiam spiritualem corpus Christi pro nobis in mortem traditum verè & realiter & præsensu nostro spirituali. IV. Quia manducatio spiritualis est vera & realis, ergo etiam præsentia. V. Sequeretur, præsentiam carnis Christi esse falsam & imaginariam. Respondeo præter spiritualem præsentiam dari etiam Sacramentalem præsentiam. Id qvod Calviniani haud gravatè admittent. Hoc suppositò, nempe, Christi corpus esse in Cœna sacramentaliter præsens, porro infallibiliter & evidenter consequitur, Christi corpus substantialiter in sacra Cœna esse: Est enim hoc corpus Cœnæ pars substantialis, qvam si dixeris tantùm adesse per modum conceptus objectivi, eo ipso destrues veritatem præsentiæ in Cœna. Qvapropter necessum est, ut cum pane sit divina præsentia præsens corpus Christi. Ad illum enim determinatur præsentia corporis Christi sacramentalis. Idem efflagitat unio rei cœlestis & terrenæ, qvæ nititur vi institutionis & benedictionis divinæ. Neqve enim fides rem terrenam & cœlestem jungere potest, aut efficere, ut res absentes realiter & verè sint præsentes. Deniq; sine qvo calix Eucharisticus non est novum Testamentum, illius præsentia substantialis reqviritur in actione Cœnæ. Atqvi sine Christi sangvine

gvine calix Eucharisticus non est nec esse potest Novum Testamentum. Ergo sangvinis Christi substantialis præsentia reqviritur in sacra Cœna. Sed videamus, qvo pacto Wendelinus respondeat ad rationes nostras, eo tendentes, ut evincant, adversarios, qvicqvid protestentur, nullam agnoscere veram & realem corporis Christi in cœna præsentiam. Aversarii dicunt, tantum distare verum corpus Christi à cœna, qvantum distat cœlum à terrâ. Ergo veram corporis Christi præsentiam non agnoscunt. Excipitur, *spiritualem præsentiam non impediri distantia locorum, corporalem præsentiam corporis admitti, sed respectu symbolorum, quia de symbolis sacramentalibus affirmantur ipsæ res signatæ.* At qvivis videt, hanc præsentiam non esse veram præsentiam. Qvicqvid enim tantum præsens est in signo, imagine & per modum conceptus objectivi, illud realiter præsens non est. De symbolis prædicari res, dicitur, non probatur, nec unqvã idoneis exemplis probabitur, ut supra dictum. III. Fidei tantum adest, Ergo non realiter. Excipitur, *fidem non esse meram contemplationem, sed esse ὑπόστασιν rerum quæ sperantur, & demonstrationem eorum, quæ non videntur: per fidem Christum habitare in cordibus nostris: fidem vincere mundum.* Sed qvid tum postea. Fides est rerum qvæ sperantur. Ergone res, qvæ sperantur, revera &

realiter sunt præsentes? At sic desinunt sperari. Ergone præsens est gloria vitæ futuræ? Per fidē Christus habitat in cordibus nostris, sed qvæstio est de corpore Christi. Sicut fides non efficit Christum præsentem substantialiter, qvi alias divina sua substantia omnia implet, ita nec corpus Christi efficit substantialiter in cœna præsens. Et qvæ consequentia? Fides vincit mundum, Ergo potest efficere corpus Christi præsens in Cœna. Qvod si fides potest efficere rem præsentem, sequeretur esse in cœna passionem, oblationem & sacrificium formaliter tale, qvod est in cruce peractum. Habent ergo Pontificii, qvod volunt. Summa, fides aut accipitur pro assensu, aut pro fiducia. Neutro modo id qvod absens est, potest facere præsens. Non enim valet: res creditur esse præsens. Ergo est præsens. Qvid si furto ablata, te nesciente? Euclio credebat aulam suam præsentem, & in eo fiduciam omnem, adeoq; proram & puppim suæ salutis constituebat, sed miserè frustrabatur. Præsentia consequitur substantiam rei, eamq; denotat non simpliciter, aut animo vel fidei præsentem, sed positam in loco vel ubi. Confundunt prædicamenta & rerum naturam, qvi dicunt, substantialiter corpus Christi adesse fidei. Præsentia qvippe est adessentia rei in certo ubi. Præsentia autem Calvinistica corporis

poris Christi non est adessentia ejusdem, ibi ubi cœna administratur. Neqve hic sufficit dicere esse præsens virtute & effecto, verbo & promissione. Hæc enim non adæqvant pondus verborum institutionis & mysterii tanti Optimè Calixtus in animadvers. ad Confess. Thorun, pag. 32. *Nullâ re aliâ recordatio Christi magis & efficacius excitari potest. Innovabitur quidem memoria magni Ducis aut Regis pro populo suo & patriâ generosè mortui, si historia rei gestæ recitetur, vel imago oculis objiciatur; longè autē magis, atque ita, ut animum validius moveat, percellat, penetret, si corpus ipsum defuncti adsit, præsensq; sistatur, etiamsi loculo sit contectum, & ut in se est, conspici nequeat. Ita etiam inquam, Servator noster, ut efficatissima esset recordatio, & ad spem, fiduciamq; nostram fulciendam potissima, corpus pro nobis in mortem traditū sanguinemq; effusum nos voluit comedere, & bibere, sacramento tamen quasi contectum, ut insensus non incurrat.* III. Negant Adversarii, corpus Christi esse posse in pluribus locis, negant ergo esse posse in Cœna. Excipitur, *adesse corpus Christi, præsentia spirituali, ergo verè: sicut Sol verè præsens est mortalibus magno locorum intervallo disclusis.* Sed hæc est præsentia virtualis. Qvalem corporis Christi præsentiam agnoscere in Cœna neqveunt Adversarii, qvippe statuentes nullam virtutem infi-

nitam communicatam esse corpori Christi, qvomodo ergo illa sese exsereret in infinitis propè locis, in qvibus celebratur Cœna? Interim qvod virtute tantum adesse non suppositio, substantialiter non adest. Semper confundunt Adversarii præsentiam spiritualem cum sacramentali. Ad illam præsentia virtualis; ad hanc præterea reqviritur præsentia realis & substantialis in verborum, Edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sangvis meus. IV. Corpus Christi non est in Cœna visibiliter, vel invisibiliter secundum adversarios. Ergo non verè est præsens. Excipitur, *concedendo corpus Christi invisibiliter præsens esse in Cœna, sed fidei: & sub symbolis visibiliter, utut aliàs à loco Cœnæ Dominicæ toto cœlo absit.* Qvæ omnia satis superq; sunt discussa. Et miramur insolentiam spiritus Calvinistici, de tanto mysterio adeò audacter & imprudenter pronunciantis, & dictantis, corpus Christi à loco cœnæ Dominicæ toto cœlo abesse. Qvis unqvam in Ecclesia prisca talia effutivit? Simplicitas semper placuit & sanctum studium mysteria mirandi, non rimandi. Qvæ causa fuit, cur Catechumini & infideles hæc arcana celarentur, & è cœtu fidelium exire juberentur. *Metui pudet*, inqvit Gregorius Nyssenus Orat. adversus eos, qvi differunt baptismum, *quod cum consenueris, adhuc ejiciaris cum Catechumenis, tanquam insipiens puellus, & qui arcana non possit celare;*

telare, cum dicendum sit mysterium. Unire populo Christiano, & ARCANOS discere sermones. Utinam in hac simplicitate Ecclesia perstitisset, nec per Iconomachos in oriente seculo IIX. Contendentes nullum aliud signum in Ecclesia institutum, qvam signum corporis & sangvinis Christi, (qvos seculo IX. in occidente secuti sunt Johannes Scotus & Bertramus, Presbyter Corbeiensis in Gallia, & seculo X. Berengarius qvibus se transsubstantiatores opposuerunt) primum ea turbata & mirum in modum contaminata fuisset! V. Absurdum est secundum Calvinianos rei præsentis adventum exspectare, Ergo corpus Christi secundum eos non est verè præsens. Excipitur, *rei spiritualiter præsentis adventum corporalem exspectare absurdum non esse.* Et hoc est qvod volumus. Calvinianos statuere, corpus Christi tantum spirituali præsentia adesse in Cœna. Non ergo reali, sacramentali & substantiali. VI. Nos non sumus in loco ubi nunc est caro Christi, Ergo non est ea realiter in cœna. Excipitur, *distantiam loci non omnem tollere præsentiam.* Fatemur, non tollit præsentiam intentionalem, objectivam & imaginariam. Tollit tamen præsentiam realem. Qvis enim dixerit, amicum ab altero amico mille milliaribus disclusum, deqve eo cogitantem, realiter ipsi præsentem esse? Qvis ipsos intelli-

git terminos, hæc sufficienter dijudicabit. VII. Verè absens est corpus Christi secundum Adversarios, Ergo non est verè præsens. Excipitur, *diversitatem esse præsentiæ & absentiæ.* Verum id est. Interim, qvicqvid realiter præsens est, illud realiter non potest esse absens. VIII. Cato Christi nobis non alia ratione præsens est, ac fuit Veteribus in Veteri Testamento, secundum Calvinianos, Ergo nobis non est realiter præsens. Excipitur, *fidem posse aliquo modo sistere præsentia.* Recte: aliqvo modo. Non ergo absolutè. Fides sistit præsentia, dum apprehendit futura tam firmiter, qvasi essent præsentia, sed realiter præsentia efficere neqvit. Verum est & immotum, à fidelibus Veter. Testam. carnem Christi non esse manducatam ad illum modum, qvem præscribunt verba institutionis cœnæ. Nec minus verum est, Veteris Testamenti fideles non habuisse corpus Christi, puta realiter exhibitum, sed habuisse figuras & umbras corporis exhibendi. Qvod qvi negat, articulum fidei secundum de nato Filio DEI tempore Augusti, & passo sub Pontio Pilato, negat.

§. IV. Deinceps aggreditur Wendelinus armenta nostra, qvibus probamus corporalem præsentiam, hoc est, præsentiam corporis Christi in cœna adeoq; in, cum & sub pane. I. Dixit Christus panem porrigens, Hoc est corpus meum, E. in pane & cum pane præsens est corpus Christi.

Christi. Excipitur, *non sequi hanc interpretationem & conclusionem.* Seqvitur firmissimè, sicut constat ex dictis ad thesin primam §. 5. seqq. Neqve obstant verba: hoc poculum est N. Testam. sed firmant interpretationem nostram. Jubentur enim discipuli haurire è poculo id qvod est Novum Testamentum, sive Novi Testamenti causa. Non autem vinum, non figura sangvinis absentis est causa & fundamentum Novi Testamenti, sed ipse præsentissimus sangvis Christi. II Christus potest facere, ut corpus suum sit in pane corporaliter, Ergo id facit. Excipitur, *à posse ad esse non valere consequentiam. Quin antecedens esse falsum, quia multas implicat contradictiones.* Non ita solemus argumentari pro ipsa præsentia, sed pro possibilitate præsentiæ. Argumentum nostrum hoc est; Id qvod in sacra cœna exhibetur ore corporis manducandum, qvodq; à communicantibus accipitur & commeditur, est realiter & substantialiter præsens in cœna. Atqvi corpus Christi à communicantibus accipitur & editur. Ergo: Minor probatur: de qvo Christus dicit, Hoc est corpus meum, illud est corpus Christi. Atqvi de illo, qvod exhibetur, dicit Christus, Hoc est corpus meum. Ergo, est corpus Christi. Item, sine qvo calix non est Novum Testamentum, illius præsentia substantialis reqviritur. Atqvi

sine Christi sangvine, &c. Si jam qværas, qvâ ratione id fieri possit, respondemus, id fieri posse, qvia Filius Dei est omnipotens. De contradictione qvod injicitur §. 2. excussum est. *Nos nunquam in tam magnis & sublimibus rebus illud. Quomodo aut cogitemus aut proferamus: Judaicum enim hoc verbum est extremi supplicij causa*, Cyrill. Alex. lib. 4. in cap. 6 Johan. III. Christus vult facere, ut corpus sit in pane. Ergo id facit. Excipitur, *Christum non dixisse, in hoc est corpus meum.* Dent ergo adversarii idoneam aliqvam interpretationem enunciationis exhibitivæ, eamq; probent sufficienter sicut nostram stabivimus th. 1. §. 5. seqq. Nos ex verbis τοῦτο ἐστι τὸ σῶμά μου, colligimus evidenter præsentiam corporis Christi cum pane. Illud namq; intelligitur per τοῦτο, qvod in Vet. Testam. intelligebant per τὸ Ecce Exod. XXIV. Atqvi τὸ Ecce ibi erat demonstrativum rei coram & substantialiter præsentis, sangvinis scilicet, sine figura & tropo. Ergò & τὸ τοῦτο est demonstrativum corporis substantialiter præsentis sine figura & tropo. Major fundata est in Paulo Ebr. X. 20. IV. Christi corpus est ubiq;, Ergo etiam est in cœna. Excipitur, *hanc collectionem vitiosam esse.* Concedimus, nec meminimus, nostros sic argumentari. Fundamentum præsentiæ corporis

Christi

Christi sunt verba institutionis, non autem portentosa illa ubiqvitas, qvam nobis affingunt Calviniani. Abeat illa in Morboniam cum omnibus somniis petulantis rationis. V. Si Christi corpus non est sub pane, nec sangvis sub vino, utiq; vacua reliqventur signa. Excipitur, *catenus vacua esse, quatenus corporaliter res signatas non continent, sicut tabulæ testamentariæ, verbum Dei & Sacramenta Vet. Testam. vacua dici possunt signa*, &c. Male facit Wendelinus, qvod contumeliam Sacramento Cœnæ illatam vult palliare, & excusare collatione tabularum testamentariarum, Verbi & Sacramentorum V. Test. Concedimus inter verbum & tabulas testamentarias similitudinem esse. At alia ratio est sacramentorum. Neqve possunt Sacramenta Vet. Testamenti, in qvo dominatæ sunt umbræ præjudicare N. Testamento, cujus causa est corpus ipsum planè exclusis profligatis & deletis umbris. Nobis religiosè premuntur verba institutionis, Edite, hoc est corpus meum, bibite, Hoc est sanguis meus, qvæ non vacua signa, sed res ipsas signatas & expressas repræsentant. Verbum Dei non est nudum & vacuum signum, sed est ministerium Spiritus semper conjunctam habens gratiam & efficaciam Spiritus Sancti. Atqve ut hæc indivulso nexu cohærent, sic indivulso nexu copulata sunt symbola Sacramentalia

talia cum corpore & sanguine Christi. Est q; adeo temeraria & impia assertio, tanto intervallo abesse à Sacra Cœna corpus & sanguinem Christi, qvanto abest summum cœlum ab ima terra. Qvæ assertio nil nisi vacua symbola relinqvit. Non enim est, qvod à cerebro humano hoc vacuum repleatur. VI. Si in procul esset nudum vinum, non posset dici esse Novum Testamentum. Excipitur, *esse Phrasin Sacramentalem, qua signis tribuuntur nomina rerum signatarum:* Probetur ergo hæc phrasis Sacramentalis & ostendatur solidum ejus fundamentum. Videth. I. §. 6. VII. Si Christi corpus non esset unitum pani, nisi unione κατὰ χάριν, seqveretur panem eadem ratione esse Sacramentum, qva olim Pascha. At hoc falsum est: qvia sic non esset Sacramentum Novi Testamenti. Excipitur. *posse eandem rationem esse panis & agni paschalis, ut nihilominus Eucharistia sit Sacramentum novi & agnus paschalis Sacramentum Veteris Testamenti. Omnium enim Sacramentorum eandem esse rationem in significanda exhibenda & obsignanda re significata cum omnibus beneficiis, & in hoc puncto convenire Sacramenta Novi & Veteris Testamenti.* Qvæstio hic tangitur, qvæ ita solet formari: an Vetus Testamentum idem sit substantia cum Novo. Ubi notandum, voces Veteris Testamenti propriè & phrasi scripturæ significare illud fœdus, qvod

Deus

Deus cum Israelitis pepigit per Mosen in monte Sinai adhibito pecudum sanguine, pariens servitutem Deut IV, 13. V, 2. IX, 9. Exod. XXIV, 21. Hoc sensu si sumatur Testamentum sive fœdus vetus, negare non possunt Calviniani, Novum & Vetus Testamentum differre substantia. At confundunt nonnulli Vetus Testamentum cum fœdere gratioso, qvod cum Patribus V. T. inivit Deus & variis circumstantiis pædagogicis vestivit. Vide Leidenses Disp. XXIII, 12. Conf. Höpfn. part. 1. pag. 45. 48. seqq. Non autem hic qværitur, an fœdus hoc gratiosum vetus fundetur in Christo, sed an eodem modo fundetur, qvo Novum. Nos dicimus, tantam esse differentiam inter fœdus gratiosum cum Patribus initum & Novum Testamentum, qvanta est inter promissionem & promissi exhibitionem, inter significationem & præbitionem, inter figuram & corpus, inter imaginem & rem imagine adumbratam. Wendel. cap. XXI. thes. IIX. vult probare *veteres eandem nobiscum spiritualem escam edisse* ex I. Cor. XI, 2.3. Sed hic manifesta est depravatio textus Paulini: in Paulo enim τὸ NOBISCUM non extat. Cum autem dicit, veteres edisse sacramentale symbolum carnis Christi, principium petit: neqve enim Manna, qvod ederunt, nec aqva de petra Sacramentum fuit, nisi vellmus numerum Sacramentorum

torum V. T. multiplicare. Interim concedimus, Manna figuraſſe carnem Chriſti, & aqvam de petra ejus ſanguinem, item agnum paſchalem ſacramentale ſymbolum fuiſſe corporis Chriſti, ſed negamus, Patres Vet. Teſt. ediſſe carnem Chriſti ore corporis ſicut fit in novo. IIX. Si panis, qvà ſignum eſt, eſt Sacramentum, ſeqvitur agnum paſchalem evidentius eſſe Sacramentum, qvia major eſt ſimilitudo inter agnum habentem carnem & ſanguinem & Chriſtum. Excipitur, *majorem eſſe ſimilitudinem inter panem & corpus. 1. In efficacia nutriendi. 2. Ex vi verborum inſtitutionis.* At major erat efficacia nutriendi in parte agni manducata, qvam eſt in buccella aliqva panis. Deinde verbum non poteſt evidentius reddere Sacramentum, qvin potius Sacramentum eſt evidentius verbo, ut ſolent ea, qvæ videntur, altius animum penetrare, qvam qvæ audiuntur, qvæ ſunt verba Wendelini cap. XX. theſ. XI. Manet ergo, agnum paſchalem conſtantem carne & ſanguine mactatum, aſſatum, comeſtum longè evidentiorem & ſignificantiorem fuiſſe figuram, qvam eſt panis, adeoqve evidentiores fuiſſe V. T. umbras, qvam eſt lux Novi, qvod abſurdum. IX. Sanguis Chriſti in terra teſtatur I. Joh. V, 6. Ergo ibi eſt præſens. Excipitur, *ſanguinem Chriſti non eſſe explicandum de ſanguine,*

ſed de

sed de effecto sanguinis fusi, nimirum expiatione. At confunditur effectum cum causa, confunduntur tre testes distincti v. 8. cum expiatione, qvâ numerus ternarius non admittit. Nos simpliciter per sanguinem intelligimus sanguinem, non expiationē, non vinū in Cœna: hujus enim apud Johannem nulla fit mentio. X. Panis est κοινωνία corporis Christi. Ergo corpus Christi est cum pane præsens. Excipitur *intelligendam κοινωνίαν spiritualem, quæ fit fide.* Sed immota adhuc perstant in contrarium argumenta, qvæ tentat qvidem Wendelinus, sed refutare non potest. Ea hæc sunt: κοινωνία, de qvâ Paulus loqvitur I. Cor. X, 16. habet diversos actus edendi & bibendi, qvos spiritualis non habet: est inter panem & corpus, non vero inter fidelem & Christum: qvin est communis fidelibus, & infidelibus. Adde si communio hic intelligitur spiritualis inter panem & Christum, seqvitur panem & Christum; seqvitur panem credere in Christum. Fide qvippe spiritualis unio absolvitur.

THESIS IV.

Ipsi quoque indigni non tantum figuram corporis & sanguinis, verum etiam corpus & sanguinem Christi ore accipiunt.

§. 1. Con-

§. I.

Contra Calviniani, qvi neminem, ne fideles qvidem & electos ore accipere corpus & sanguinem Domini modis maximis contendunt. Utrinq; est consensus circa manducationem spiritualem: hanc enim in infideles cadere utriq; negamus. Qvinam autem per indignos sint intelligendi, qvodnam item sit judicium, de qvo loqvitur Apostolus I. Cor. XI. 29. non est una utriusqve partis sententia. Crocius contra Affelmann. *duplicem* docet *dignitatem & indignitatem; unam personæ in fide & infidelitate: alteram tractationis, quæ in diligenti aut negligentiori exploratione consistat. Dignitas personæ est tantum verè credentium, indignitas personæ solorum incredulorum. In quos indignitas tractationis semper quoque cadit; interdum etiam in fideles. Hinc quoque duplex judicium, unum correptionis, alterum condemnationis. Igitur infideles fiunt edendo obnoxij, item illi fideles, qui se negligentius probant.* Hæc Crocius, in qvibus sibi parum consentanea docet. Si enim communicantes sint fideles, utiq; indignè tractare corpus Domini neqveunt. Qvicunq; indignè edit & bibit, is reus sit corporis & sanguinis Christi, sibiq; attrahit condemnationem. Qvod de fideli qvatenus tali asserere, nimis est absurdum & falsum. Duplex judicium, qvantum ad hunc locum, merum est commentum.

mentum. Neqve id seqvitur inde, qvod indigni dicantur ab Apostolo dormire, item corripi, ne cum mundo condemnentur: qvæ ratio Bucerum qvoqve & Pischatorem permovit, ut crederent hic per indignos intelligi infirmos in fide. Nam vox dormire etiam impiis tribuitur in sacris literis. I. Reg. 14, 20. cap. 16. 6. cap. 22. 40. Dan. 12, 2. &c. De piis cum addito dicitur dormire, sed in Christo I. Cor. 15, 18. Porro correptio non fidem præsentem arguit, sed admonitionem de agenda pœnitentia. Et omnino credibile est, morbis admonitos Corinthios, de qvibus Paulus loqvitur, ante mortem resipuisse. Qvare indignos eos dicimus esse, qvi non probant seipsos, hoc est, qvi non agnoscunt sua peccata, non dolent, ut hac ratione seipsos judicent, qvi non examinant sese, an sint in fide vera. 2 Corinth. XIII, 5. qvi deniqve seipsos non excutiunt, an satis serium deinceps habeant propositum de vitandis peccatis, qvorum remissio communicatione corporis & sanguinis dominici obsignatur, non reconciliatur proximo &c. Non ergo infirmi in fide iidem qvi indigni. Paulus enim indignes vocat qvi se ipsi non probant. Id qvod de infirmis in fide dici neqvit. Indigni à Cœnâ arcendi: At minimè infirmi in fide, utpote ob qvos potissimum

institutа est Sacra Cœna: virtus enim Dei in infirmitate perficitur.

§. II. Sententiam veriorem sic probamus: Si indignè edentes rei fiunt corporis & sanguinis Christi, seqvitur, eos, non figuras tantum, sed ipsum qvoqve corpus & sanguinem Christi accipere. Atqvi verum est prius. E. & posterius. Excipitur, *hoc non oriri ex orali perceptione, sed ex profanatione symbolorum, veluti læsæ Majestatis reus peragitur, qui diploma regium pedibus conculcat. Unde est, quod dixerit Paulus, eos accipere panem, non corpus. Augustinus Judam dicit accepisse panem Domini, non panem Dominum.* Hæc perperam excipiuntur. Qvomodo enim profanari potest id qvod non est? qvomodo abuti infideles possunt corpore Christi, qvod non accipiunt? qvasi tu dicas, hominem, cui vini ne guttula qvidem aut panis mica suppetit, vino & pane abuti. Violatores insignium Principis non corporis Principis rei dicuntur. Dissimile est exemplum. Τὸ ἔνοχον appositum delicto sive culpæ, culpam exprimere solet. Reus sanguinis est, qvi sanguinem effudit. Deut. XIX, 10, &c. Impœnitentes namq; sic dicendi sunt fieri rei corporis & sanguinis Christi, sicut Judas, & milites impœnitentes Christi crucifigentes facti sunt rei, qvi qvidem sanguine Christi respersi sunt, sed nullo cum fructu suo, maxi-

mo

mo potius & æterno cum detrimento. Optimè Chrysostomus hom. XXVII. in I. Corinth. *Quæris, cur indignè manducans & bibens dicatur reus fieri corporis & sanguinis Domini? Quoniam*, inquit, *effudit sanguinem, & jam eadem (corpus) esse fecit, non sacrificium: itaq; quemadmodum tunc cum transfixerunt, non ut biberent, transfixerunt, sed ut effunderent, perinde facit, qui indignè communicat, & nullum inde fructum consequitur.* Vides quanto cum terrore loquitur, & quantâ cum vehementiâ eos tangit, ostenditq; si ita participatur; essent, indignè appositis participarent. *Quânam igitur ratione indignè pauperes contemnunt & præter contemptũ ignominiâ afficiunt! Nam si non dare pauperibus â cœlorum regno hominem ejicit, etiamsi virgo sit, vel potius non largâ manu dare (siquidem virgines illæ oleum habebant, sed non abundantius) intelligе quantũ mali sit, tanta absurda operari. Quænam*, inquit, *absurda? Quid dicis, quæ absurda? Tantæ mensæ particeps fuisti, & cum omniũ mansuetissimus esse, & angelis par deberes, omniũ crudelissimus factus es, sanguinem gustans Dominicum, neque hic fratrem tuum agnoscis, & quânam dignus es veniâ. Et hoc facis, cum ad Christi mensam discubueris, in die illâ, quâ carnem ejus lingua attingere dignus habitus es! Ne igitur hæc fiant, dextram etiam, linguam, labia considera, quo pacto vestibulum Christi facta sunt, ut ingrediatur.* Similia habet Theodoretus in

h. l. *Illud autem, reus erit corporis & sanguinis, hoc significat, quod quemadmodum tradidit quidem illum Judas, ipsi autem insultarunt Judæi: ita eum ignominiâ & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt.* Nemo unqvam dixit eum, qvi agnum paschalem, aut manna, aut sacrificia, aut panes propositionis indignè manducavit, reum factum corporis & sangvinis Domini. Qvanqvam enim hæc essent figuræ corporis Christi, tamen qvia corpus Christi tunc non erat præsens, nec sub Vet. Testam. percipiebatur ore, nemo tantum reatum contraxit. Paulus notanter loqvitur non de pane præcisè, sed de pane Hoc, qvi nempe est κοινωνία corporis Christi. II. De qvocunq; pane Paulus locutus fuerat in præcedentibus & nominatim cap. 10, 16.: eum qvoqve accipiunt indigni. Atqvi de pane, qvi est κοινωνία corporis Christi Paulus dixerat. Ergo. Major ex ipso textu patet: non enim dicitur, qvi manducaverit panem simpliciter, sed cum addito, qvi indigne manducaverit panem hunc. Qvi si κοινωνία est corporis Christi, conficitur, una cum pane accipi ipsum corpus Christi. Id qvod tertiò sic probatur amplius: Si indignè manducantes propterea rei sunt judicii, eò qvod non discernunt Christi corpus, sequitur eos ipsum Christi corpus accipere. Atqvi

verum

verum prius. Ergo & posterius. Major probatur. Non enim, ait Apostolus, reum fore judicii, qvi spernit (qvomodo vero spernerent reprobi donum, qvod secundum Calvinianos non cadit in reprobos, qvod ad eos non pertinet, qvod nec eis destinatum est nec efficaciter oblatum? Numqvid non Deus injustus esset, tales si puniret?) sed qvi non discernit corpus Domini, hoc est, interprete Chrysostomo, *qui non examinat, non cogitat, ut oportet magnitudinem eorum quæ sunt proposita, non reputat quanti momenti, & ponderis sit donum, quis sit, qui est propositus, & qui sit, qui dat se ipsum & cui det.* Unde seqvitur *ipsum corpus repræsentari*, ut loqvitur Tertullianus lib. 1, contr. Marcion. cap. 12. hoc est, præsens sisti: Hæc enim hujus verbi vis est apud Tertullianum. Vide lib. de resurrect. carn. cap. 17. Tandem: Si Cœna Domini dignè sumenti non est Sacramentum, seqvitur, qvod fides faciat Sacramentum & incredulitas destruat. Atqvi verum prius. E. & posterius. Majoris connexio firma est. Minor est Adversariorum, statuentium indignè sumentibus Cœnam Domini non esse Cœnam, sed potius prophanationem Cœnæ. Qvod perperam statuitur. Qvomodo enim prophanari potest id qvod non est? qvomodo abuti infideles possunt S. Cœna, qvam non accipiunt? Recte Au-

guſtinus Tom. VII. lib. 3. cont. Donatiſt. cap. 14. fol. 272. *Nec intereſt, cum de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit ſacramentum: intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam: ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri poteſt, ut homo habeat integrum Sacramentum & perverſam fidem.* Audite, qvi mutilum, imò nullum Sacramentum accipere infideles defenditis? Audite eundem Auguſtinum Tom. II. Epiſt. 164. fol. 474. dicentem: *Tolerat ipſe Dominus Judam, Diabolum, furem & venditorem ſuum; ſinit accipere inter innocentes Apoſtolos, quod fideles nôrunt,* PRÆTIUM SUUM.

§. III. Objiciunt 1. *Impios non eſſe hæredes nec accipere legata.* 2. *Non manere in Chriſto.* 3. *Eſſe in ſocietate demoniorum excludente ſocietatem Chriſti,* 1. Cor. X. 21. 4. *Accipere opus mortuum, deſtitutos quippe fide.* 5. *Peſſimè dici impiorum ore impuro accipi corpus Chriſti.* Reſp. ad 1. impios hæredes eſſe ſecundum intentionem Dei & voluntatem antecedentem, qvanqvam actu & voluntate conſeqventi exhæredentur ob incredulitatem & inobedientiam. Corpus & ſangvis una cum fructu & effecto meritorum ſunt legata, qvæ ſolis dantur credentibus, offeruntur etiam incredulis, ſed ſi hi fructu potiri cupiunt, incredulitate abjecta fidem afferant neceſſum eſt, ut poſſeſſio-

fessionem legatorum adeant bonorum. Ad 2. etiamsi non maneant in Christo, nec ei uniantur ob incredulitatem sive defectum spiritualis manducationis, hoc tamen non obstat, manducationi sacramentali. Non seqvitur: Impii accipiunt Christi corpus, Ergo cum Christo uniuntur, sicut non seqvitur: in impiis est Deus, Ergo cum DEO uniuntur, respersi sunt Christi sangvine carnifices. Ergo cum Christo fuere uniti. Ad 3. non loqvitur Apostolus de omnimoda ἀδυναμία. Conf. Genes. 34, 14. Deut. 16, 5. Act. 4, 20. Nec loqvitur de facto, sed de jure. Nempe scopus Apostoli est deterrere eos, qvi idolothytis vescebantur, & diabolicis Ethnicorum cultibus communicabant, ac nihilominus ad mensam Domini accedebant, ostendendo, eos corpus Christi summâ contumeliâ afficere. Qvod si Christi corpus non accipiunt infideles, perit nervus: fidei qvippe nullus est abusus, vid. dict. Th. 1. §. 7 Ad 4. Alia ratio est operum legalium, qvæ sine fide sunt mortua & organorum gratiæ, qvæ media sunt ad vivificandum ordinata. Qvorum natura vivifica manet, etsi vivificationis actus secundus per incredulitatem intercipiatur. Ad 5. Flos Patrum sic loqvitur, *impios impuris manibus & pulluto ore accipere corpus & sanguinem Christi.* Cyprian serm. s. de lapsi. Orig. hom. II. in Psal. XXXVII. Basil. M.

O. qvod baptizati debent participatione mysteriorum nutriri Tom. I. &c. Benè D. Calixtus lib. cit. pag. 51. *Quantum indignis confertur, tantum confertur, per sacramentum quatenus Sacramentũ est: Cætera fructum spiritualem & appellationem meritorum Christi spectantia per fidem conferantur, & non per sacramentum. Observandum autem, indignos illos nihilominus Christianos esse, & saltem occultè indignos. Nam si de indignitate eorum constet, non admittuntur. Sunt imò membra visibilis Ecclesiæ, & eatenus corporis Christi: Mirum enim non est, quod hisce benignus & φιλάνθρωπος Servator, ut ad cor redeant, compungantur, & ad pœnitentiam invitentur, corpus suum in sacramento, sine ullâ sui passione, vel injuriæ sensu, velit exhibere, quod olim ad eorundem redemptionem, & salutem impiis cum verâ sui passione & acerbissimâ cruciatuum sensu flagellandum & torquendum exhibuit. Interim etiamsi per hujusmodi negligentiam & indiscretionem ab indigno Christiano peccetur in corpus Christi, reapse tamen non magis patitur, aut læditur quàm Deus, quando in ipsum itidem ab hominibus peccatur. Declaratur ulterius: Servatore in terris inter homines agente multum fuit corporaliter cum eo conversari, ei assidere, tangere, colloqui: absq; fide tamen id non erat salutiferum. Positâ verò fide potuit ab homine pio dici: Adsociatus sum Christo corporaliter & spiritualiter: & adsociatio corporalis*

proficit

proficit mihi ad spiritualem, ut quàm propinquus sum corpore, tam propinquus quoq; sum, & magis etiam animo & spiritu. Quin Christus corporalem adsociationem exhibebat propter spiritualem, quamvis non deesset, qui etiamsi corporali fruerentur, ad spiritualem tamen & salutarem cum ipso societatem & unionem non pertingerent. Sic etiam in sancta Eucharistiâ corporis sui cum corpore nostro indistantem conjunctionem exhibet, ut per eam spiritualis promoveatur, augescat, & altiores indies radices agat, quamvis non desint, qui ob suam ipsorum culpam nullâ spirituali, sed solâ illâ altera potiantur; quæ tamen ipsa, nisi obicem illi ponerent, spirituali efficiendæ idonea. Tantum de Cœna. Audiamus qvid de nostra sententia statuant Montacutius Anglus & Dallæus Gallus. Egerat ille Orig. Eccleſt. Tom. I. part. poster. pag. 455. De Christo foribus clausis ingresso & per integra virginalia matris enixo, qvibus subjicit ista: *Et certè fateor,* AD EUNDEM MODUM *in sacratissima Eucharistia, post prolata verba consecrationis, Hoc est corpus meũ, revera & non δοκαστικῶς aut κατὰ δόκησιν, non figurativè, aut nescio quâ repræsentatione tantùm esse corpus Christi in sacramento, sed vero modo, veraci & divino. Verax enim est, qui instituit: potens est, qui edixit. Nemo opinor tam impius, qui negaverit, Deum aliquid posse, quod homo non potest vestigare. Credatur igitur, ut à nobis creditur, ita esse*

ne satagetur, & tamen totalis de curiositate vertitur, quomodo ita fit, aut possit esse. In talibus enim rebus, ait idem Augustinus, tota ratio facti, est facientis potentia. Qui ergo de modo odio capitali, ad gladios, ad aras ignes, & vivicomburia contendunt, videant quid respondeant; & ἐρηνοποιῷ de violata in talibus Ecclesiæ pace, & quid αὐτονόμῳ, qui rationem efflagitant credendorum. Concludam cum Augustino, in eâdem Epistola, ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimã, vel odit ægrotando medicinam. Hic Apol. pro Eccles. reform. cap. 7. sic scribit: *Fateor equidem, quod illi fratres* (Lutherani) *statuunt Domini Jesu corpus in Eucharistiæ pane realiter esse, id nos certâ fide credere non magis posse, quam mentis cogitatione assequi. Sed quod dogma in hoc religionis capite neq; credere, neq; capere possumus, id ego nos in eorum doctrinâ ferre, sive tolerare, & posse & vero ex caritatis legibus debere existimo. Hæc enim, quam illi retinent, opinio, dum in his finibus consistat; neq; extra eos evagetur, veneno carere videtur; quæ neq; sacramenti naturam abolet; neq; signum, quod constat, tollit, neq; ipsum vel adorat, vel dividit, aut mutilat, aut in sacrificium peccatorum, expiatorium commutat, quæ deniq; & sacramento naturam atq; vim suam omnem tribuit ac relinquit, neq; Christo recta, & immediatè, præciseq; ac formaliter (ut in scholis loquuntur) substantiam, vel proprietates suas adimit;*

tantum

mentum ait eum, quo nobis mortis suæ ac (ut ait Paulus) corpus & sanguinem suum, id est utriusq; vim ac fructũ, communicet, illic etiam secundũ corpus modo quodam, (quod ipsi profitentur) ineffabili atq; incomprehensibili præsentẽ adesse. Hæc sanè hypothesis, quãdiu se intra hos terminos continet, nihil videtur ponere aut jubere, quod vel pietati, vel caritati, Dei honori, vel hominum saluti adversetur; eoq; tolerari debet. Atq; ita nostri semper de ea judicarunt; quod etiãnuper publicè testatæ sunt Ecclesiæ hujus regni Reformatæ in Synodo Nationali Carentonæ An. D. 1631. habita; ubi decretum est fratres istos, qui Lutherani vulgò dicuntur, à nostra cõmunione, mensaq; sacra minimè prohibendos, si qui velint accedere, etiamsi & hoc, quod commemoravimus, dogma, & pauca quædam alia minoris momenti seorsum à nobis sequantur.

CAPUT III.

DE

ADIAPHORIS.

§ 1.

Hæc enim restant, tum in genere, tum in specie excutienda. Numerus eorum colligi potest secundum capita Catecheseos nostræ. Urgent Adversarii aliter distingvendum decalogum, B. Lutherum mutilationis reum agunt, imagines è templis magno cum scandalo exturbant. Insectantur apertionem capitis ad nomen

men Jesu, in aliis qvoqve ad Dominicam precationem pertinentibus culicem excolantes & camelum deglutientes. Exorcismum abominanturunacum crucis signatione & baptisteriis: nonnisi in templis, & præsente publico cœtu, nec nisi sacerdoti baptizandum dictant, non laico, non mulieri ne qvidem in casu necessitatis, qvem illi nullum esse dicunt. Deniq; confessionem & absolutionem privatam tollunt, fractionem panis in cœna tanqvam partem essentialem, vel ad minimum integralem rigidè urgent, porrectionem symbolorum in manus tuentur, panis elevationem damnant, porrectionem Cœnæ, qvæ fit ægrotis, non probant: ad altarium, hostiarum, sacrarum vestium, cereorum vel nomen cohorrescunt. Brevioribus hic esse, ut in re minus difficili, licet: nec opere pretium alibi occupari, qvam ubi nodus occurrit vindice dignus. Itaq; de Decalogi divisione, Imaginibus, Exorcismo, Baptismo laicorum, Confessione & absolutione privatâ, fractione panis, majori cura agendum: Cœtera sufficiet attigisse. Prius autem, qvam ad speciem accedamus, de genere dispiciendum, hoc est, de adiaphororũ natura, ut postea tantò melius explicari illud dubium qveat, an urgentibus adiaphororum abolitionem Calvinianis tuto cedere possimus, vel etiam jure teneamur.

§. 2. Adi-

§. II. Adiaphora generalissimè dicuntur res quæ neqve per se bonæ neqve per se malæ sunt, ita ut hominem moraliter nec bonum nec malum efficere qveant, qvalia sunt τὰ μέσα, cibus, potus, conjugium, cœlibatus, ambulatio &c. Nobis adiaphora sunt ritus, qvi à DEO nec speciatim mandati, nec prohibiti sunt, qvorum partim in sacrorum publicorum administratione, partim in privati cultus exercitio usus indifferens est, qviqve per se nec cultus divini pars sunt, nec salutem hominum æternam promovent vel impediunt, sed serviunt decoro, bono ordini, ædificationi. Unde seqvitur, qvod qvis adiaphoris vel uti vel non uti, item benè vel malè uti liberè possit. Et hactenus haud gravatè consensuros Calvinianos confidimus. Nimirum ἐν θέσει vix ulla controversia esse potest: qvicqvid controversum est, ἐν ἐνθέσει ferè versatur, an v. 9. exorcismus, & alia, qvæ à nobis pro Adiaphoris habentur, revera talia sint, hoc est, à Deo nec mandata nec prohibita, sed mediæ naturæ. Leidenses Theologi in Synops. Disp. XXXV. libertatis Christianæ pro varietate objecti diversos gradus vel partes constituunt thes. II. seqq. has nempe: *1. libertatem à peccato, ejusdemq; reatu, dominio, & ex eo, Diaboli tyrannide: 2. libertatem à durissima exactione totius legis implendæ, & execratione ab non impletam legem.* 3. Liber-

Libertatem ab omni traditionum humanarum jugo in rebus ad cultum Dei pertinentibus, & circa quos actus religionis, quos elicitos vocant, versantur. 4. Libertatem à servitute œconomica legis ceremonialis &c. vid. thes. 20. seqq. & libertatem in usu rerum indifferentium & mediarum, de qva agunt thes. 32. & addunt thes. seqq. cum adiaphora per se nec bona nec mala censeantur, sed ex usu ipsorum circumstantiis, libertatem nostram à Paulo Rom. 4, 22. 1. Cor. 10, 23. cap. 8, 13. *duplici lege circumscriptam esse, lege fidei & charitatis.* Primam dicunt reqviri ad id, *ut libertatis ratio in animis nostris apud Deum constet, ut de legitimo rerum indifferentium usu rectè simus instructi, & sufficienter confirmati, & nihil dubitante conscientia aut agamus, aut eudeamus.* Secundâ dicunt exigi, *ut fratrum infirmorum, qui adhuc de libertatis suæ prærogativa non satis edocti sunt, habeatur ratio, ut eorum captum moderemur, idq; tantisper dum possint erudiri, eorumq; ædificationem procuremus.* Hæc recto stant talo, qvibus nihil detractum, nihil etiam adjectum nunc volumus. Pugnemus utriq; contra illa tria, qvæ Pontificii rebus mediis tribuunt, contra opinionem cultus per se, contra opinionem meriti & supernaturalis efficaciæ, deniqve contra necessitatem; in qvam bifariam peccari solet. Primò, si, qvæ à Deo sunt prohibita vel mandata, pro adiaphoris habeantur,

tur, ut si communicationem sub una, veneratione sanctorum & similia pro adiaphoris habere velis. Deinde, si absoluta necessitas adiaphoris tribuatur, ut si jejunium qvadragesimale absolutè observandum sub pœna exclusionis è regno cœlorum obtrudatur. Utriusq; criminis rei sunt Pontificii, ut alibi docetur. Atqve optandum foret, ut extra culpam hic Calviniani essent. Verũ cum legimus, qvæ Beza habet de aqva in baptismo & vino in cœnâ, deqve fractione panis adhibenda, non possumus qvin utriq; culpæ obnoxios Bezam & qvi cum eo faciunt dicamus. Ita vero habent Bezæ verba Epist. 2. Volum. 3. pag 195. seq. *Ubi panis & vini nullus usus est, vel nulla certo tempore copia num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, si quod panis aut vini vicem vel ex usu communi vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur.* Et paucis interjectis: *Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum adsitatione non possit nec debeat, ego certe quovis alio liquore non minus ritè quàm aquâ baptizarim.* Et tandem: *Panis fractio tanti sanè est momenti, ut, qui illam non adhibent, Christum quodammodo non immolatum, neque vetere illa victimarum legalium dissectione adumbratum, sed totidem penè Christos, quot singulares panes, tradere penè videantur.* Hactenus Beza. Scilicet, hoc est culicem excolare & came-

& camelum deglutire. Sed hæc missa faciamus, atqve ad ea ipsa, qvæ in controversia posita sunt, rectà accedamus: qvibus rectè constitutis, qvæstionis illius de abolitione rerum adiaphorarum, an hic gratificari Calvinianis possimus, decisionem velut clausulam imponemus.

§. III. Primum ἀδιάφορον est numerus decem decalogi præceptorum. Qvem varie veteres iniverunt. CL. Cramerus qvatuor formulas distinguendi Decalogum qvoad numerum præceptorum recenset. Prima est Josephi lib. 3. Antiq. Judaic. cap. 4. ita dividentis Decalogî tabulas, ut singulis qvina præcepta tribuat, sitqi primæ tabulæ primum, de colendo solo Deo, secundum de non adoranda imagine, tertium de non jurando in re vana per Deum &c. Huic distinctioni subscribunt Origenes, Chrysostomus, Nazianzenus, Ambrosius, Sulpitius, Severus, deniqve Calviniani, nisi qvod præceptum de parentibus honorandis ad secundam tabulam referunt omnes Josepho excepto. Secunda est solius Hesychii cujusdam comment. in Levit. cap. 26. qvi negat præceptum de observatione Sabbathi esse ex numero decalogi: interim qvatuor assignat præcepta primæ, sex secundæ tabulæ, ut primum sit: Ego sum Dominus Deus tuus: secundum de non habendis Diis alienis: tertium de non faciendis sculptilibus;

libus: qvartum de non assumendo nomen Dei in vanum: qvintum de parentibus honorandis &c. Tertia est Thalmudistarum, qvatuor præcepta attribuentium primæ tabulæ, sex secundæ, ut primum sit. Ego sum Dominus Deus tuus, qvi eduxi te de terra Ægypti ê domo servitutis: secundum de non habendis Diis alienis, nec faciendis sculptilibus: tertium de non assumendo nomen Dei in vanum, & sic deinceps. Hujus distinctionis assertores sunt Philo Judæus, Athanasius, & ex Calvinianis Petrus Martyr. Qvarta & ultima distinctio est potissimum Augustini, Bedæ, Anshelmi, Lyræ, Lombardi & Scholasticorum, qvam secutus est Lutherus. Vide de hac re doctiss. Crameri tractatum cap. 2. Hæc sententia etiam temporibus Origenis suos habuit sectatores. Vid. Orig. in Exod lib. 3. Vel hæc commemoratio docere potest rem indifferentem esse Decalogi numerationem. Nos qvidem illam, qvæ Calvinianis placet, suo loco relinqveremus, nisi ipsi nostram divisionem erroneam, mutilam, corruptam & postremis temporibus magno damno Ecclesiarum Christi in Catholicum usum subintroductam clamarent. Anhaltini & Marpurgenses vulgatam (qvæ nostra est) distinctionem dixerunt esse *horrendum sacrilegium, propter quod in extremo Judicio omnes illius assertores confundendi & pudefaciendi sunt*

di sunt in æternum. Iidem nos octo integra, duo dimidia præcepta habere, & fraudem Deo facere, ac si qvis persoluturus debitum decem Joachimicorum, solvat octo & duos tantum dimidios, sic satis impudenter & ineptè sunt gloriati. Hæc minimè sunt ferenda, qvippe jugulum petentia Christianæ libertatis. Nos veterum modestiam secuti, Calvinistici spiritus intemperiem, insolentiam & immodestiam toto pectore aversamur, qvam non modio neq; trimodio verum ipso horreo exprobramunt, imagines è templis intempestivè exturbando, & nobis suam illam decalogi divisionem velut necessariam obtrudendo. Cœterum tantum abest, ut Calvinistarum divisionem nostra meliorem esse arbitremur, ut nostram censeamus solido rationem urgentissimarum, qvibus destituuntur Calvviniani, ut patebit, fundamento superstructam esse. Id prius, qvàm exponamus haud diffitemur, Lutherum propter captũ rudiorum usum qvadam ζωθυμῆ, & ea omisisse, qvæ ad solos Judæos spectabant. Vide Jerem. cap. 16, v. 14.

§. IV. Sic argumentamur: Qvæcunq; ratio numerandi seu distingvendi nititur 1, nota distinctionis grammatica, 2. consensu sacræ scripturæ, 3. Antiqvitatis authoritate, illa commodissima est, & retinenda. Atqvi talis est nostra distinctio, qva præceptum de non faciendis sculpti-

sculptibilibus à præcepto de non habendis diis alienis non distingvimus, præcepta verò de concupiscentia distinguimus. Ergo. Major est manifesta. Minor probanda, Et primo qvidem, qvod attinet notam Grammaticam, ֑ dico & ֒, ita illa adhibetur tum in Exodo tum in Deuteronomio, ut nunqvam interserantur versibus, qvæ unum constituunt præceptum. Officium enim eorum est destinguere Cum ergo inter præceptum de non habendis diis alienis & sculptilibus nulla intercedat nota distinctiva: inter decimum vero & nonum intercedat, relinqvitur, hæc præcepta distincta esse. Adde alia fundamenta Ebraicæ literaturæ, qvibus fulciri nostra thesis potest, fluxum nempe unius accentuationis & indolem Silluk impuri vers. 2. 3. collationem deniqve præcepti tertii cum primo &c. Unde fieri non potuit, ut alibi terminaretur præceptum primum, qvàm ubi est silluk purum seu absolutum, qvod alium continuantem accentum à latere non ducit vel tolerat, adeoqve versu qvinto. Alterum qvod attinet, imaginum ad orationem ex usu scripturæ sub primo præcepto prohiberi sic probamus: Omnes Dii alieni prohibentur primo præcepto. Imagines sunt Dii alieni. E. Minor probatur Exod. 32, 1. 4. Levit. 19, 4. Deut. 4, 28. Confer. Jud. II, 12. Hos. II, 16. Unde ipse Deus cum pro-

 hibuisse

hibuisset facere sculptile, in ipso Decalogo rationem subjungit, qvod ipse sit Deus ipsorum. Exod. XX, 5. Deut. V, 9. Nihili ergo est Glossa Piscatoris contendentis priori præcepto cultum internum, posteriori externum interdici. Idem enim Dii alieni in primo & secundo, idem cultus prohibetur; Non habebis neqve coles. Concupiscentiam vero rectè ex usu scripturæ in duo secari præcepta, nemo, opinor, negaturus est, qvi, qvid sit apud Jacobum ἐπιθυμίας ζυλλαβῶν καὶ τίκτουσα consideraverit. Eam rem libentius CL. Crameri verbis expromimus, qvam nostris. Ita vero Camerus pag. 112. *Concupiscentia concipiens habitat in homine & manifesta fit cum mens ab objecto delectabili inordinatè titillatur; estq; cum suggestione, itemq; cum provocatione talium cogitationum de rebus proximi, undè facilè sequitur motus ad illud objectum persequendum. Dicturq; aliis concupiscentia sensualitatis: item προπάθεια: primi motus: item fomes: nonnullis titillationes. Estq; ipsissimum peccatum originis inhærens &c. Alia est concupiscentia parienS, cum jam illud malum inhabitans accendit voluntatem cum pleno consensu, nec repugnat delectationi, sed in deliberatam proæresin male agendi prorumpit & armat membra omnia, ut insectentur objecta, hoc est, res alienas sive uxorem sive domum proximi. Unde etiam hæc duo in*

Exodo

Exodo & Deuteronomio permutantur. Objectum autem originalis concupiscentiæ decimo præcepto proponitur & iis qvidem vocibus כל אשר לו ad qvas, qvæ præmittuntur, velut exempla se habent. Nec malè Theologi observant vim vocis תתאוה qvæ occurrit in præcepto decimo: qvasi dicatur: ne teipsum irrites ad concupiscendum, laß dich deine böse Lust nicht reitzen. De antiqvitatis consensu supra diximus. Desinant ergo nobis maledicere Calviniani.

V. Imagines Dei in forma, in qva ipse apparuit. Christi item, Sanctorum & aliarum rerum fieri atqve in templis collocari posse pernegant Adversarii, contendentes, imagines istas secundo præcepto prohibitas esse. Nos affirmamus. Qvicqvid enim à Deo in sui ipsius honorem sancitum, extraordinario item Spiritus Sancti dono perfectum & miraculosè approbatum, id non potest ullo præcepto morali esse prohibitum. Atqvi fabricatio imaginum v. g. Cherubim habentium faciem humanam, leonum, boum, florum &c. Earumq; in sacris locis collocatio à Deo ipso sancita in sui honorem & extraordinario Spiritus dono perfecta atqve miraculose approbata est E. Major patet: lex enim moralis immutabilem Dei voluntatem continet. Minor clara est ex seqventibus locis

Exod. XXV, 18. XXIIX, 33. XXXV. II. Reg. VI, 23. seqq. IIX, 10. 11. Neqve est, qvod dicas, *ipsas imagines fuisse brutorum tantum, neque idololatriæ occasionem subministrasse.* Prius enim falsum est ut jam dictum. Et brutorum imagines materiem idololatriæ suppeditare potuisse, exemplum Israelitarum vitulum adorantium apertissime demonstrat. Relinqvitur ergo, imagines creaturarum in templo collocari posse. De imagine Dei operosius disputatur. Nos, qvia speciem antiqvi dierum, veri insidentis solio, formam columbæ &c. Deus ipse hominibus se manifestans repræsentavit, causam idoneam non videmus, cur non talem formam & mente concipere & manu pingere, atqve hanc picturam ut sacris literis consonam in templo collocare liceat. Nam qvod moraliter malum est, id nec mente concipi sine vitis potest, ut cupiditas rei alienæ, ira sine causa & modo & his similia. Rem totam imaginum laudatissimi Majores nostri in Synodo Francofurtana regia vera inter Iconodastas & Iconolatras incedentes, egregie complexi sunt. Ipsos audiamus in præfatione sic loqventes: *Nos Esaiæ vaticinio docti, qui dicit, Hæc via, ambulate in ea, non declinabitis ab ea, neque ad dextram neque ad sinistram: & doctoris gentium prædicatione admoniti, qui nos viam regiam tenere instituit, imagines in ornamentis Ecclesiarum*

clesiarum & memoria rerum gestarum habentes, & solum Deum adorantes & ejus sanctis oportunam venerationem exhibentes, nec cum illis frangimus, nec cum istis adoramus &c. Horum tanta est evidentia, ut ex Adversariis qvosdam in assensum trahant. Inter qvos nominandus nobis merito suo est Montacutius Anglus, qvi contra Iconoclastas, qvos furiosiores vocat, nostram ὀρθοδοξίαν defendit adeò ut Christum hominem, Spiritum qvoqve Sanctum in figura columbæ &c. depingi posse de mente Patrum tam certo liqvere qvàm solem meridie lucere fidenter asserat Orig. Eccles. Tom. I. part. poster. pag 105. De Bezæ effato sic pronunciat pag. 390. *Impiè Beza in colloquio Mompelgartensi: Fateor me ex animo crucifixi imaginem detestari, ideoq; non possum eam ferre. Contra profiteor, idq; ex sententia Antiquitatis & Ecclesiæ Anglicanæ: Fateor, me ex animo crucifixi imaginem amplecti & usurpare, ideoq; eam libenter admittere; Christianus enim sum, & Christiani nihil alienum à me esse arbitror, & Bezanam illam* IMPIETATEM DETESTOR. Desinant ergo nos qvi imaginum usum historicum defendimus, objurgare Anhaldini *tanqvam Christi Dei filij hostes, amicos Belial, discipulos Antichristi, servos mendacij*, verantwert. der Erinn. pag. 121. Endl. ablehn. pag. 146, 150. 180.

VI. Tantum de Decalogi partitione: nunc

ad alias Catechismi nostri (qvem thesaurum ut juventuti nostræ è manibus excutiant, vel saltem suspectum reddant, unius est in his Calvinianorum scopus) partes transeamus. In oratione Dominica occurrunt nonnullæ qvæstiones vel verbulo perstringendæ. Taxamur, qvod in Ecclesiis nostris latinæ preces misceantur Germanicis. Sed hoc non inutiliter fieri fatebitur, qvisqvis consideraverit, Ecclesias nostras occidentalem Latinam Ecclesiam tanqvam matrem agnoscere: cujus rei ut perpetua exstet memoria, Latinis collectis aliqvis attribui locus potest, ita tamen, ut hic ædificatio obtineat primas. Adde, qvod Latinis precibus utamur propter eos, qvi latinè discunt & intelligunt: qvodq; ex lectæ testimonium suggerant conservatæ etiam in medio papatu. Ecclesiæ Dei. Reliqva, qvæ hic agitari solent, an rectè dicatur Vater unser/ an sex an verò septem sint constituendæ orationis dominicæ petitiones, an in ultima petitione ἀπὸ τοῦ πονηροῦ sit vertendum in genere masculino, an in genere neutro, an vero ita, ut utrumq; includatur? hæc, inqvam, leviuscula sunt, & extra controversiã adiaphora, saltem judicio potiorum Calvinistarum. De apertione capitis ad mentionem nominis Jesu liticula est, qvam mos civiliratem non impiam esse asserimus. Majori conten-

contentione de signo crucis disputatur, cujus retentionem Anhaltini haud erubescunt appellare *incantationem Magicam, & tesseram Antichristi.* Sed unde id probabunt? Tandem de organis Musicis disceptatur, aliis contendentibus, eo prophano qvam sacro convivio longè rectius convenire, aliis vero Calvinianis ea concedentibus: qvod certissimum ἀπαφωνίας argumentum est:

§. VII. A levioribus hisce ad gravioris momenti controversiam pedem promoveamus, Exorcismum. Hunc acerrime insectantur Calviniani, qvando *abusum nominis, & verbi divini, superstitionem Papalem, destructionem fidei salvificæ, denique ludicrum & inane spectaculum appellant.* Hic initio protestamur, nobis minimè placere qvæ de Exorcismo fabulantur Pontificii, cujus tres Ceremonias faciunt: exsufflationem cum manus impositione & signo crucis. 2. Salis in os immissionem. 3. Salivam digito auribus & naribus appositam. *Per hunc exorcismum* ait Becanus in Manual lib. 3. cap. 8. *ab infantibus expelli dæmonem, ne impediat baptismum, quem potest dupliciter impedire, 1. si infantem strangularet in ipsa baptismi inchoatione. 2. Impediendo fructus baptismi:* & addit, *corporaliter obsideri corpora infantum à Diabolo, quod habeat potestatem in illorum corpora, non autem, quod actu vexet, torqueat,*

strangulet. Apage vero has nænias! Apage Cæremoniarum illam multitudinem, qvibus ipsa principalis baptizandi actio obruatur & obscuretur! Neq; vero nos exorcismo vim attribuimus, qva expellatur Diabolus: tantum abest, ut eidem efficaciam baptismi tribuendam, aut exorcismum partem baptismi substantialem esse, ut calumniantur adversarii, censeamus. Sunt inter Augustanæ confessionis socios, qvi Exorcismum cum Baptismo non conjungunt: Nec desunt forte qvi haud gravate in hujus ritus reformationem sunt consensuri, modo Calviniani moderatè rem gesserint & prius retractarint ea, qvæ de peccato originis, sancta infantum nativitate, & baptismi efficacia significativa, & majores ipsorum & ipsi hactenus constanter defendunt. Nec alia fuit mens B. Chemnitii cum part. 3. locor. comm. pag. 161. sic scriberet: *Si doctrina de peccato originis, de potestate & regno Satanæ, & de efficacia baptismi plana confessione concedatur, substantia, integritas & efficacia baptismi non est alligata ad præscriptum illum ritum verborum Exorcismi, sed Ecclesia habet libertatem, ut doctrinam illam aliis verbis scripturæ magis consentaneis proponat & explicet.* Interim qvantisper Adversari rem indifferentem tanqvam necessariam nobis obtrudere, & veteres de peccato originis & sanctitate infantum hypotheses tueri non desinunt in gra-

in gratiam eorum exorcismum ritum vetustissimum abrogare non possumus. Cœterùm hic notandum, quo pacto nostræ Ecclesiæ in Baptismo adjurationem Dæmonis, quæ fit per Invocationem nominis Divini usurpent atque explicent. Scilicet *adjuratur aliquis eum impellitur, ut in Dei honorem aliquid faciat; qualis adjuratio, vel per preces fit & obtestationibus, vel per mandatum. Hoc secundo modo nemo alium adjurare valet, nisi eo sit superior & potestate in alium polleat, veluti cum Abrahamus, pro potestate quam in servum obtineat, tum adjuravit, ut filio uxorem adduceret Genes. 24. Priore autem modo, sive per preces quivis homo alium potest adjurare obtestando scilicet, ut sive hoc sive illud divini honoris ergo susceptum & factum velit. Et ita adjuratio nihil est aliud, quam quidam impulsus ad volendum ac faciendum, quod divinæ gloriæ cedat. Quod autem facit adjuratus, id sponte facit, ita ut possit non facere.* Verba recitavimus Cl. Calixti ex Disput. de Baptismo th. 163. ubi sic pergit: *Quibus ad hunc modum consideratis, quivis intelligit adjurationem ad Dæmonem, non nisi per Analogiam quandam & convenientiam transferri. Diabolum enim nec monitis, nec precibus, nec mandatis ullis ullus homo eò adiget, ut divino honori velificari velit. Et si tale quid faciat aliquando, non facit nisi invitus. Quæ igitur adjuratio homini in hominem competit propriè & peculiari modo, ea homini in Diabolum, compe-*

competit saltem per Analogiam. Ne autem malus spiritus frustra adjuretur, ut id faciat, quod facere alias nolit, propterea divini nominis invocatio adhibetur, quâ Deus invocatur, ut Diaboli vim & potestatem inhibeat, ejusq; fraudi & malitiæ resistat. Deinde cum in priore Ecclesia Exorcistarum munus esset, donò adhoc divinibus dato Dæmones ejicere ex corporibus humanis per eos occupatis & obsessis; alia adhuc & nova hic intercedit analogia, ut dæmon adjurari dicatur propter illos, non quidem, quos corporaliter invasit, sed quos redegit sub potestatem suam in spirituali captivitate eos detinendo. Est ergo exorcisatio nobis nihil aliud, quam actus, quo denunciatur Diabolo opus Divinum, quod ipse Deus in baptizando operaturus est, destruendo opera Diaboli & novum regni sui seminarium per baptismum plantando: habetq; Exorcismus *vim quandam seriæ & validæ precationis qua baptizans Ecclesiæ nomine Deum obtestatur, ut baptizandum è Diaboli potestate ereptum & in regnum lucis gratiosè cooptatum velit.* Qvæ certe omnia sunt scripturis consentanea, illis potissimum locis, qvæ utriusqve partis confessione de peccato Originis, deq; omnibus in Ecclesiâ ad ædificationem ordine & decenter peragendis loqvuntur.

§. VIII. Pro confirmanda de Exorcismo sententia nostra sic argumentamur: Qvicunq; ritus ab Ecclesia prisca institutus retineri potest bono

bono fine, qvi verbo Dei minime contrarius est, is est adiaphorus. Atqvi Exorcismus talis est. E. Minor haud difficulter probari potest. In primitiva Ecclesiâ Dæmones exorcismis ex energumenis expulsos & Scripturæ loqvuntur Act. XIX. 13. & testantur Patres Justin. Mar. in Dial. cum Triph. Jud. Tertull. de corona milit. c. 9. &c. Minut. Felix in octav. Cypr. Martr. lib. ad demetr. Lactant. Firm. lib. 2. Institut. cap. 16. Ambros. de offic. cap. 44 &c. Cessante dono miraculorum nondum tamen cessarunt exorcisationes. Adhibebant eas Exocistæ qvibus ab Episcopis id injunctum erat, cum à Dæmonum cultu ad fidem Christianam transirent gentiles, & baptismum peterant, ut hoc ipso ritu significaretur, eos à potestate Satanæ eripi non minori Dei beneficio, qvam qvo corporaliter obsessi liberantur. Hoc fine jubebantur Catechumeni Satanæ ejusq; pompæ & operibus renunciare. Clara hæc sunt ex Augustino de fide & oper. cap. 6. *Intueamur eos, qui per singulos annos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcisantur, scrutantur*, seu explorantur. Catechisationi ergo subjiciebatur exorcisario adultorum. Sed & infantibus baptizandis fuisse adhibitos exorcismos Augustinus multis locis docet, imprimis illis, qvibus Pelagium & Sectatores confundit

hoc

hoc usus argumento ad firmandum peccatum originis, qvod infantes qvoqve exorcisentur contra Pelag. & Cœlestin. lib. 2. cap. 40. lib. 1. cont. Julian. cap. 4. 6. & lib. 3. c. 3 5. lib. 6. c. 2. Epist. 105. &c. qvos nonnunqvam à Diabolis vexatos & occisos fuisse loc. cit. testatur. — Vid. Ambros. lib. 1. de Sacrament. cap. 5 Cyrill. Hierosol. præfat. in Catech. & Catech. 1. Oprat. Milevit. lib. 4. contr. Parmeniam. Gregor. Nazianz. Orat. in S. baptismo, Hieron. dial. advers. Lucifer. Leon. M. Epist. 4. c. 6. &c. Ex qvibus liqvidum est seculis IV. & V. exorcismum cum baptismo conjunctum fuisse. De seculi sexti consensu dubitare nos non permittit Concil. Bracar. II. De exorcismo Catechumenorũ Can. I. & de exorcismo infantum baptizandorum Can. 9. præcipiens. Gregor. M. hom. 29. in Evangel. sic scribit: *Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam Sacerdotes ejus, cum per Exorcismi gratiam manum credentibus imponunt &* HABITARE MALIGNOS SPIRITUS IN EORUM MENTE *contradicunt, quid aliud faciunt, nisi Dæmonia ejiciunt?* De secutis seculis minus dubitabit, qvisqvis legerit Isidor. Hispal. lib. 2. de Eccles. Off. cap. 20. Bedam libr. 4. in cap. 16. Marci, & in homil. æstival. in die Ascens. Raban. Maur. lib. 1. de institut. Cler. c. 27. Lombard.

bard. lib. IV. sentent. distinct. 6. ejusq; Commentatores.

§. IX. Tantum de Exorcismo. Superest qvæstiuncula de baptismo à laico sive muliere collato, qvem nos ratum esse dicimus. Zervestani libro de ceremoniis pag. 68. *Impijs & superstitiosis ritibus, qui reformatione maximopere indigeant, γυναικοβαπτισμὸν accensent.* Calvinus & Beza *præferre videntur diaboli baptismum administrato à mulieribus baptismo.* Verba Calvini exstant Epistola ad Socinum pag 64. *Jam mea nihil refert,* inqvit, *sitne homo Lucianicus, qui baptizat, sive ipse Diabolus. Tantum enim respiciendа est institutio, & continuus usus, qui à Christi mandato tanquam fonte fluxit.* Beza in qv. & resp. qvi 144. scribit: *Si fieri posset, ut vel ipse Satan sederet in Cathedra ministerij, & legitimum baptismum administraret, is esset Christi baptismus.* Tanto magis mirandum, homines istos docere potius permittendum, ut non baptizati infantes moriantur, qvàm ut Papisticus Sacerdos eos baptizet. Hoc enim nomine vituperant Hunnium, qvod id consilii dederit Fritzlarienſibus. Vid. Calvin Instit. l. 4. cap. 15. num. 20. seqq. Ubi notandum, Calvinum ipsum fateri, multis abhinc seculis, adeoq; ab ipso fere Ecclesiæ Exordio usu receptũ fuisse, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset. Leidenses Theolo-

Theologi in Synopſ. pur. Theolog. diſp. 4. nt 4. th. 55. *Qui non alio, quam obſtetricum aut priva-torum baptiſmo forte tinctus fuerit, ejusmodi homi-nem ſine ſcrupulo baptizandum, cenſent*, addita non alia ratione, qvam, *quia horum baptiſmus nullus eſt*. Qvod Logici petere principium vocant. Nos, cum ratum eſſe dicimus baptiſmum â laico vel muliere collatum, non de ordinaria baptiſmi collatione loqvimur, qvæ penes miniſtros Eccleſiæ eſt: Sed de extraordinariis caſibus extremæ neceſſitatis, cum videlicet in nondum baptizato certiſſima mortis ſigna apparent, & verbi Miniſtri copia nullo modo fieri poteſt. Qvod ſic probamus: Qvicqvid in Veteri Teſtamento in circumciſione ratum fuit & conceſſum, id hodie in baptiſmo irritum eſſe neqvit. Atqvi ratum fuit, ut mulieres circumciderent, Ergo ratum qvoqve erit, ſi baptizent. Major tum ex analogia utriusqve ſacramenti Coloſſ. 2, 11. & æqvali mandato de non intermittendo utroq; Gen. 17. Johan. 3, 4. tum ipſius Calvini judicio patet, dicentis, *idem olim effecisſe circumciſionem, quod hodie efficit baptiſmus*. Minor eſt manifeſta ex Exod. 4, 25. 1. Maccab. 1, 36 2. Maccab. 6, 20. Calvini exceptiones loco citato nullius ſunt momenti. Placuiſſe enim Deo circumciſionem à muliere factam, non inde tantum manifeſtum eſt, qvod Moſes non contradixerit,

dixerit, verum imprimis inde patet, qvod Deus ad peractam circumcisionem à Mose destitit, qvem ante occidere volebat. Unde factum, ut exemplum Ziporæ secutis temporibus, Maccabæorum præsertim, piæ mulieres imitatæ fuerint. Locum, qvem confert Calvinus, II. Reg. XVII. qvod attinet, non destitit à perdendis Gentibus DEUS, qvod cultum miscerent, sed qvod institui in lege Dei & revocari ad verum Dei cultum inciperent. Deinde & hoc pro astruenda thesi nostra argumentum producimus: Qvi extra ordinem docere potest, is etiam extra ordinem potest baptizare. Atqvi privatus & mulier extra ordinem docere possunt. Ergo etiam baptizare. Minor est manifesta ex Act. 18, 24. seqq. &c. Socrates histor. Eccles. lib. 1. cap. 20. commemorat, qvomodo Iberes ad Christianismum sint perducti operâ mulieris cujusdam honestæ & pudicæ, ab Iberibus captæ, qvæ tantum effecit apud Regem, ut Rex Christi factus sit præco. *In Christum enim*, verba sunt Socratis, *per piam hanc mulierem credens cunctos Iberes sibi subjectos convocat, & quæ circa uxoris ac pueri curationem, deinde & in venatione accidernnt, exponens, captivæ mulieris Deum colerent, hortatur, Facti sunt igitur utriq; Christi præcones, rex viris, captiva mulieribus.* Hactenus Socrates, qvi ipse adeatur. Major inde probatur: qvia officii docendi

cendi major est dignitas, qvam est officii baptizandi, I. Cor. I. 17. Et Christus ipse docuit qvidem, non autem baptizavit Joh. IV. 1. His adde authoritatem priscæ & purioris Ecclesiæ. Tertullianus de Baptismo dicit, *laicis quoque esse jus baptizandi, quia quod ex æquo ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus dari potest.* Hieronymus Dial. contra Luciferian. *Scimus*, ait, *etiam laicis licere baptizare, si necessitas cogat: ut enim accipit quis, ita & dare potest.* Neqve hic silentio prætereunda Ecclesia Anglicana cujus, sententiam expressit Cassaubonus in Responſ. ad Epistolam Cardinalis Perronii, nomine Regis Angliæ scriptâ, observat. 3. pag. 24. *Quod de nascente olim Ecclesiâ dixit Tertullianus; baptizare Episcopum, Presbyterum, Diaconum; postremò etiam laicis jus esse, in extremæ videlicet necessitatis casu; hoc ipsum in Ecclesiâ Anglicanâ, quod ad Episcopos, Presbyteres, & Diaconos, hodieq; servatur, sine ullâ loci, vel temporis, rigidâ, & penitus inviolabili observatione. Laicorum vero baptismum, aut fœminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitimâ formulâ quodammodo non improbat; Baptismum esse pronuncians, etsi non legitime administratum.* Vid. Vossii Disputat. de Baptismo Disputat. XI.

§. X. Hæc de Baptismo visa sunt curatiori explicatione digna: reliqva sunt pretii minoris. Qvale est, qvod de tempore & loco movetur,

tur, contendentibus Adversariorum nonnullis, In cœtu Ecclesiæ & concionibus precibusq; adjunctis baptismum administrandum, neqve ullos necessitatis casus admittendos. Qvod ferri minimè potest, aut permitti, ut sapientia Calvinistarum & supra scripturam & supra puriorem antiqvitatem se efferat. Legant nobis talia è scripturis vel constanti Ecclesiæ purioris observatione, & haud difficiles nos habebunt. Certe Apostoli in via, in domo, in carcere baptizabant Act. IIX, 38. IX, 17. XVI, 33. Vid. Cyprian. in Epist. ad Magnum lib. 4. Epist. Euseb. lib. VI. hist. Eccles. cap. 4, 33. Theodoret. lib. 1. hist. Eccles. cap. 31. in ægritudine baptizatum Constantinum Magnum Nicodemiæ refert. Idem memorat de Theodos. Imper. Socrates lib. V. cap. 6. Synodus Carthaginens. III. Can. 34. sancit, *ut ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Idem de baptisteriis judicandum, qvæ nescio cujus superstitionis Papisticæ insimulare haud erubescunt. Qvasi vero ex Papatu originem baptisteria traxissent, qvorum meminere Nazianzenus Orat. 4. Paulin. Epist. 12. ad Severum. Cyrill. Catech. 1. Myst. Dionys. Eccles. Hierarch. part. 2. An loco aqvæ possit adhiberi qvivis alius liqvor, qvod vult Beza verbis supra citatis,

tatis, judicent ipsi Calviniani. *Inepta sunt quæstiones plurimæ*, verba sunt Leidensium Theolog' Disput. 44. th. 17. *quæ à Scholasticis moveri solent, an alia quam communi aqua ad baptismũ uti liceat, an lixivio, urina, aquis coctis aut destillatitiis, item vino, aceto, imo sabulo aut arena. Ut enim temere hic multa ab iis definiuntur ex absolutæ baptismi necessitatis hypothesi, ita nullam aquam nisi communem à Christo & Apostolis huic sacramento consecratam aut adhibitam legimus, ac proinde cum mandato ac promissione careant, ex fide usurpari non possunt.* De signo crucis, qvod à nobis circa baptismum qvoqve usurpatur, modo dictum. Qvod jam Tertulliani ætate in usu fuisse locus de Resurrect. cap. 8. docere potest, ubi sic probat carnem non indignam resurrectione Tertullianus: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur ut anima consecretur. Caro* SIGNATUR, *ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur. Caro (NB.) corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quos opera conjungit.* Adde Cyrill. Hierosol. Catech. 13, August. serm. 8. de verbo Domini. Audiamus Casaubonum de usu signi crucis in primitiva Ecclesia Exerc. XIII: num. 33. sic scribentem: *Scimus veterem Ecclesiam, & in vitæ communis usu, & in ritibus sacris, multum usam esse venerabili illo signo: sed ut pia ceremonia, quæ orationi adjecta*

adjecta, animos fidelium ad Christi crucem eveheret; non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut gestui affigeret. Hoc sensu sanctissimi prudentissimiq; illi Antistites, qui Ecclesiæ in Angeliâ reformandæ negotio præfuerunt; & in publicis locis Cruces passi sunt remanere, & in nonnullis etiam ritibus sacris retinuerunt in baptismo. Tandem id qvoqve taxant Calvinistæ, qvod retineamus morem interrogandi Patrinos, qvos sponsores vocat Tertullianus lib. de baptis. cap. 18. fidejussores & offerentes Aug. de peccat. merit. lib. 1. c. 33. & Epist. 23. *Pro ipsis enim infantibus respondent, quod abrenuncient Diabolo, pompis & operibus ejus. Et ideo tam illi qui excipiunt quam qui excipiuntur pactum quod cum Christo in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendunt.* Hæc Augustinus cujus dictum memorabile allegatur de Consecrat. dist. 4. c. 139. *Mater Ecclesia os maternum parvulis præstat, ut sacris mysteriis imbuantur, nimirum repetendo & applicando illud, quod ipse Christus pro infantibus expresse testatus est & confirmavit.* Vid Chrysost. in Psal. XIV. Unde liqvet ceremoniam hanc esse antiqvissimam atqve in Orientali pariter & Occidentali Ecclesia usitatam, nec posse nisi novatoribus displicere. Qvales Zervestani qvi eam lib sup. cit. pag. 63. *ceremoniis impiis & superstitiosis* annumerant.

§. XI. A baptismo ad ritum Confessionis &

absolutionis privatæ transeamus. Hunc in nostris Ecclesiis retinemus, sed liberatum & repurgatum à Pontificio fermento, rejicientes auricularem illam Papisticam & scrupulosam peccatorum omnium confessionem, qvam dicimus esse impossibilem, esse miseram animarum carnificinam, carentem mandato scripturæ, promissione & exemplis, destitutam praxi primitivæ Ecclesiæ, transformantem Evangelium in legem, conjunctam cum meriti opinione, opere operato confessionis & potestate judiciaria absolutionis privatæ, deniqve Simoniâ qvadam, qvâ vel secundum taxam pœnitentiariam certa pecuniæ summa exigitur, vel vis satisfactoria nummis post absolutionem numeratis vendicatur. Hæc detestamur. Neqve tamen probamus Calvinistarum oppositum extremum de confessione privata & absolutione penitus abrogandâ, ut testantur. Ordinationes Ecclesiæ Palatinæ pag. 56. seq. & Genevens. pag. 23 &c. Magis se nobis probat mors Ecclesiæ priscæ, de qvo agunt Socrates hist. Eccles. lib. 5. cap 19. & Sozomenus lib. 7. cap 16. Uterq; memorat, *institutum ab Ecclesia priscâ presbyterum quendam* (occasionem dederant Novatiani à pœnitentia arcentes prolapsos) *tenacem secretorum & prudentem, ad quem qui deliquerunt accedentes, quæ gessissent, confiterentur, quiq; secundum unius cujusq; delictum*

delictum, quid faciendum luendumq; esset, multa imposita, ea lege confitentes absolveret, ut à se ipsi pœnas exigerent commissorum. De Romana Ecclesia Sozomenus subjungit: *Illic perspicuus pœnitentium locus, in quo stant mœsti ac veluti lugentes: peracta autem liturgia à mysteriis exclusi, quæ ad initiatos pertinent, cum lamentatione ac planctu ad terram sese pronos projiciunt. Episcopus ex adverso cum lacrymis accurrens & ipse ad pavimentum lamentando provolvitur, & universa Ecclesiæ multitudo lacrymis suffunditur. Postea Episcopus primus exsurgit, & jacentes erigit, & quatenus convenit pro peccatis pœnitentiam, facta oratione ex Ecclesia illos dimittit. Seorsim quisq; sponte sua vel jejuniis vel balnei vel eduliorum abstinentia sive aliis modis, secundum quod jussus est, se affligens, tempus exspectat, quod Episcopus determinavit* &c. Hactenus Sozomenus, qvi de causa, cur mos privatim confitendi Constantinopoli à Nectario sit sublatus, videatur. Addatur judicium ejus de abrogatâ confessione privatâ: *Antea*, inqvit, *ut ego existimo, erant minora peccata, tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsorum delicta ipsi enunciabant, tum ob severitatem eorum, qui judices ejus rei constituti erant.* Eadem Socratis est sententia lib. V. cap. 19. sic compellantis Eudæmonem, qvi consilium dederat tollendi hujus ritus: *Consilium tuum, ô Presbyter, Ecclesiæne fuerit an secus, Deus viderit:*

viderit: illud tamen planè animadverto, te ansam dedisse, ut alter alterius peccata minimè coarguat, nec observet illud præceptum Apostoli: nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.

§. XII. Veniamus ad rationes privatam confessionem & absolutionem demonstrantes adiaphorum ritum esse, meritoq; retinendum. Eas hoc syllogismo exhibemus: Qvicunq; ritus in Sacra Scriptura præcisè nec mandatus nec prohibitus, sed potius 2. scripturæ & 3. orthodoxæ antiqvitatis exemplo nititur, 4. præstat multas & insignes utilitates, qvo nomine 5 à S. Patribus imo Adversariis ipsis commendatur, ille merito retinendus est. Atqvi confessio privata est talis. E. Minor habet qvinq; membra. Primum negari neqvit. Secundum probatur: qvia qvanqvam confessio privata & absolutio secundum illum modum, qvo apud nos fit, non sit mandata: in genere tamen jubemur confiteri peccata, absolvere pœnitentes, in formare rudiores, consolari timidos & dolentes. Loca passim obvia sunt: vide Jac. 5, 6. Joh. 20, 23 &c. Et hoc pertinent exempla 2. Samuel 12. 2. seqq. Matth. 3. 6. cap. 9. 2. Luc 7. 46. cap. 19, 9. &c. Tertium membrum ex iis, qvæ modo è Socrate & Sozomeno adducebamus, clarum est. Qvartum obscurum esse neqvit. Nam & respectu ministro-

miniſtrorum & confitentium ratione utilitas certa deprehenditur. Illorum qvidem aſpectu, neceſſaria exploratio, &, ſi opus, informatio, ne ſanctum projiciatur, aut detur canibus Matth. 7, 6. Qvod profecto explorandi & informandi ſtudiores ſacra ſynaxi uſuros commodiſſimum medium eſt: in publicis enim examinibus ſæpe pudor & timor lingvam præpediunt, in privatis promptius editur profectus noſtri ſpecimen, rectius admittuntur correptiones, inſtitutiones. Horum utilitas in conſolatione conſcientiarum perterritarum, confitentium humili confuſione & Dei glorificatione, exercitatione obedientiæ & emendatione, hæreticorum & impœnitentiam probatione atqve confutione conſpicua eſt. Qvintum adductis plurimis Origenis, Cypriani, Baſilii Magni, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini illuſtrari & probari poſſet. Nobis nunc unus ſufficiat Leo Romanus, qvi epiſtola 78. ſtatuit: *Submovendam eſſe conſuetudinem, qua de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta confeſſio publicè recitabatur; cum ſufficiat reatus conſcientiarum ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur; tamen, quia non omnium hujusmodi ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare;*

removenda erat improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arcerentur, dum aut erubescunt, aut metuùnt inimicis suis facta sua resenare, quibus possunt legum constitutionibus percelli. Sufficit ergò illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedit: quod tum demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Vid. Chemnit. part. 2. Exam. cap. 5. Ipsorum qvoq; Calvianorum, Calvini, Martyris, Bucani, Zanchii, Bezæ aliorumq; loca addere in proclivi foret. Contenti erimus citatione Leidensium Theologorum, qvi Disp. 47 th. 19. ex Calvini instit. lib. 3. cap. 4. sect. 12. 13. *Liberum censent & sæpe utilissimum, conscientijs solicitis, ad eorum consilium confugere, qui ex officio, peccatorum naturam, & circumstantias propius norunt, & à proprio Pastore consolationem petere, per declarationem aliquam peccatorum, quibus solicitus animus torquetur. &c.*

§. XIII. Seqvitur controversia de fractione panis præfigurativâ. In qva ut majori cum dexteritate versemur ex Disput. qvædam Cl. Mylii Th. 30. seq. exscribenda seqventia censuimus. Verba ejus sic habent: *Non est in præsenti quæstio, quid in Cœna ultima instituto hoc Sacramento Christus fecerit, fregeritne panem, nec ne, quam discipulis dedit, Quem ab ipso fractum fuisse, facile fatetur,*

qui

qui non expressum modo tenorem verborum institutiones inspexerit: sed mensæ etiam paschalis ritum observaverit, quo consuetum fuit panes azymos grandiores apparare, ea & amplitudine & crassitie, ut vel singuli, vel pauci saltem toti familiæ sufficerent. Nec qvæstio est, *utrum similem panis Eucharistici modum Ecclesia vetusta unquam usurparit. Non enim litem movemus Durando, qui in primitiva Ecclesia oblatum fuisse unum magnum panem scribit, & omnibus sufficientem, Quod adhuc Græci servare dicuntur. Et, per nos obtineat licet, quod in Chrysostomi Liturgia & forma panis & ejusdem secandi, cultroqve concidendi ritio expressa legitur, quam Gentianus Hervetus, his verbis describit.* Est panis crassus & fermentatus & figura propemodum Sphærica. *Non est etiam de eo controversia, An hæc res sit in conditione indifferente posita, ita ut si cui Ecclesiæ propter graves causas aliubesiat, talem ritum postliminio introducere, quasi hoc ipsi non licitum ac liberum esse debeat. Quin neq; de eo molesti cuiquam futuri sumus, si sint in Ecclesia aliqua quamplurimi ijq; optimi, qui super tali ritu non reducto scandalum patiantur, quid hoc casu fieri debere, lex etiam ipsa charitatis jubeat. Denig; non ita importuni sumus, ut ritum aliquot seculorum usu comprobatum, quo placentæ tenuissimæ & orbiculares fiunt, denarioli instar, ut Durandus loqvitur, quæ in Cœna adhibentur, tanquam necessarium & simpliciter immutabilem*

lem obtrudere cuiquam cupiamus. Hæc Mylius optime, qui statum controversiæ verbis seqventibus sic format: *De hoc cum novatoribus & correctoribus novellis disceptatio nobis intercedit, utrum fractionis ejus ritus, quam violenter & intempestivè atq; citra causam justam ullam nuper in Ecclesiam invexerunt, sit in administratione cœnæ aliquid necessarium,* Ein gantz nötiges Stück! *quemadmodum libellus Marpurgensis loquitur, cui titulus:* Kurtzer und schrifftmässiger Bericht vom Brodbrechen! *num sit pars illius legitimæ administrationis primaria,* Ein Hauptstück des hochwürdigen Abendmahls! *sic verbo Dei mandata, ut omitti, aut mutari nullo modo debeat; imò sine eadem legitimè administrari sacramentum Cœnæ omnino nequeat. Ritus, qui à Calvinianis observatur talis est. Coquuntur ab istis panes non azymi, quales sunt nostri, quos nebulas panis appellant: sed fermentati, quos solidos & fortes panes nominant, tantæ magnitudinis, ut quaternis communicantibus unus sufficiat. Qui ad mensam publicam appositi, in conspectu populi à Ministro Ecclesiæ, sub magni mysterij nuncupatione, in IV. partes dividuntur, divisæq; partes manibus communicantium porriguntur, propria opera singulæ à singulis ori ingerendæ. Hoc* (pergit Mylius) *est grande illud mysterium, quod correctioribus istis revelandum Deus tanto seculorum cursu reservavit, scitu observatuq; tam necessarium, ut propter hujus jacturam, orbis Christiani salus, &*

veritas

veritas ipsa religionis Evangelicæ periclitam sit, &c. Huc enim tendunt accusationes Calvinianorũ in publicis scriptis: Christus hats befohlen/ dessen Befehl nachzukommen ja nötig ist. Gläuben derwegen/ daß sich die jenige irren/ die das Brodbrechen für ein Mittelding halten/ welches man sowol unterlassen als gebrauchen möge. Item: Das Brodbrechen ist angeordnet/ weil man sich lieber den Reformirten Kirchen gemäß halten/ denn mit des Pabsts Hoffart sich behelffen und flicken sol. Item: Das Brodbrechen unterlassen/ und dafür Oblten im Abendmahl gebrauchen/ ist weder Apostolisch noch Evangelisch/ sondern Päbstisch Vide Palatinorum Trewherzig. Ermahn. pag 7. Anhalt. Bericht von Ceremonien pag. 89. Endlich Ablehn. pag. 211. *Sed de Papatu quod dicunt, nihil est. Neq; enim nostris ritibus hactenus missaticum sacrificium stabilitũ est, neq; Calvinistarum fractione impeditum, ut res ipsa clamat.* Summa, fractionem panis adversarii contendunt Cœnæ sacræ partem esse, alii qvidem essentialẽ &substantialem, sine qva cœna non sit amplius cœna Domini, alii integralem. Omnes in eo conspirant, ut dicant necessariam esse propter ἀναλογίαν, hoc est, propterea, ut fractio panis aliqvid repræsentet & adumbret. Marpurgensis libellus cujus antea est injecta mentio, geminam repræsentationem inculcat. *Primam* ponit *in passione & morte Dominica, cujus necessariæ*

omni-

omninò est recordatio, quâ fiat commodissimè in fractione panis. Editur enim panis Eucharisticus pro applicatione: frangitur autem pro recordatione mortis Christi. Et quia pro verbo Tradendi, quo Lucas usus est cap. 22, 19. Apostolus utatur verbo frangendi: ideo sine ritu fracti panis, quo nobis primaria & principalis partis istius in Cœna Dominica fiat adumbratio. Cœnam istam pelnè & legitimè celebrari negs debere negs posse. &c. Alterum adumbrationem esse de unitate corporis Ecclesiastici. Ad quam Apostolus 1. Cor. 10, 17. & 1. Cor. 12. respiciat. Ut autem ea, quæ exigitur, symmetria coalescamus in unum corpus, fieri neutiquam posse, si peculiarem quisq; hostiam seu panem Eucharisticum accipiat. Hæc Marpurgenses. Cœterum ἀναλογίαν, istam qvo pacto explicent commodè & intelligibiliter, haud invenere hactenus Calviniani. Qvid enim adumbrabit panis fractio? numqvid fractionem ossium aut corporis Christi? Sed hoc scripturæ adversatur, ut postea audiemus. Dices: atqvi Paulus dicit, corpus Christi esse fractum. Respondeo, si hæc verba sunt Cœnæ essentialia, aut integrantia, aut nullam aut mutilam cœnæ descriptionem Evangelistæ tradidere, qvod dictu horrendum. Sed qværere ex Calvinianis lubet, qvomodo hæc ipsa vox frangendi apud Paulum sit accipienda. Alios audio dicere cum Piscatore, ne videantur nihil respondisse, suo

modo

modo frangi corpus: alios audio Metaphoras crepare, & vel ad mortem & crucifixionem; vel ad lacerationem; vel ad cruciatus & dolores; vel ad perfossionem manuum & pedum; vel ad separationem animæ à corpore accommodare: de qvibus vid. Cl. Mentzerem Tom. III. Gies. pag. 298 seqq. Postremi ineptissimi sunt. Si enim propterea de corpore Christi dicitur fractio, qvia anima separatur à corpore, seqvitur, etiam sanguinem dici debere fractum, qvia & ab hoc anima separatur. Dices cum Crocio advers. Affelm. pag. 268. Omnes in eo conveniunt, qvod panis fractione repræsentetur dolorosa passio Christi, qva fuit atritus, & plurimis cruciatibus fractus, &c. Respondeo, audire me qvidem verba, sed in verbis institutionis Christi apud Evangelistas, qvi nullam integralem vel essentialem Eucharistiæ partem omiserunt, solidum fundamentum reqvirere. Opportunè nunc in mentem veniunt verba B. Lutheri Tom. VI. Jenens. fol. 73, seqq. Es gehet ihnen/ gleich wie jenem Narren/ der eine Wassermühle auff einem Berge bawet/ da die Mühle bereit war/ fraget man ihn/ wo er Wasser nehmen wolte. Da sprach er/ siehe/ da habe ich warlich nicht an gedacht. Also ist den Schwärmern auch so jäch nach der Deuteley und Gleichnisse/ daß sie darfür nichts bedencken können. Wenn man nun ihnen gerne wolte gewonnen

nen geben/ und solche Gleichniß annehmen/ und begehren/ daß sie lehren/ worinne solche Gleichniß deß Brodts mit dem Leibe Christi stehe/ müssen sie auch sagen/ siehe da habe ich warlich nicht an gedacht/ wir meyneten/ wann wir Gleichnüsse nenneten/ so stünden sie da/ denn unser Geist hat von Anfang GOtt seyn wollen/ daß alles seyn solte/ was er spreche. Siehe/ das heisset sich selbst abgeraut mit eigenen Worten. Hæc Lutherus benè, præclarè, nec potuit melius!

§. XIV. Nunc ad rationes nostræ assertionis convertamur. Prima est: Si fractio panis est pars Cœnæ essentialis seqvitur, apud omnes eos, qvi fractionem omittunt, nullam cœnam administrari, adeoq; in Ecclesia per multos annos nullam cœnam esse administratam. Posterius est falsum. Ergo & prius. Minor probatur. Fractio ob distributionem tantùm adhibita Judæis, unde & pro distributione capitur Es. LIIX, 7. Thren. IV, 4. Prov. XI, 2. 6. Vid. Gen. XLII, 2. Unde & in communibus conviviis Christo usurpata fractio Matth. XIV, 19 XV, 36. Marc. IIX, 19. Luc. XXIV. 30. seqq. Act. XX, 7 XXVII, 5. Nemo hic mysteria qværit. Cur ergo in fractione panis Cœnæ Dominicæ mysteria fingimus? Finguntur enim, qvorum fundamenta in verbis Institutionis, qvæ Evangelistæ recensent, monstrari non possunt. Accommodetur fractio ad

ctio ad dolorosam passionem, effusio vini ad effusionem sangvinis, qvod & Prosper in sententiis cit. Jur. Can. distinct. 25. de consecrat. c. 37. & Lombardus lib. IV. sentent. distinct. 12. fecere, sed de intentione Spiritus Sancti qvæstio remanet, an ut fractio panis ita vini effusio sint præfigurativæ adeoqve hoc nomine strictè observandæ. Qvod nunqvam probabunt Adversarii. Paulus I. Cor. XI. solius memorat fractionis. Sunt, qvi propterea fractionem necessariam esse dicunt, qvod apud Evangelistas τὸ fregit positum sit inter duos necessarios actus benedixit & dedit. Sed qvi Paulum audit, non nisi tres necessarios actus præparatorios agnoscit ad δόσιν spectantes: acceptionem, benedictionem & fractionem sive distributionem. Qvod si Paulus fractionem, ut à distributione distinctus actus est, partem Cœnæ essentialem vel integralem agnovisset, utiq; & distributionis separatim meminisset, qvæ omnium consensu sine dubio pars Cœnæ integralis est. Relinqvitur ergo eos, qvi fractionem omittunt, integram cœnam habere adeoq; in Ecclesia per tot seculorum decursus integram cœnam administratam esse. Dices: qvicqvid fiat de eo, an sit administrata cœna, nec ne, *constat tum exemplo Christo, tum 2. ejusdem mandato 3. Apostolica observatione 4. ipsius Eucharistiæ ab hoc ritu indigitatione 5.*

ne 5. mysticarum cogitationum de signatione atque arcanorum maximorum adumbratione, panem in sacra cœna esse frangendum. Verum hoc si sufficeret, eodem jure concluderem, immersionem in baptismo esse necessariam. De hac enim adest mandatum, Baptizate, qvæ vox proprie significat immergere, ut Adversarii ipsi fatentur. Videatur Calvinus lib. 4. Instit. cap. 15 Beza Epistola 2. Wolffgang. Musc. in loc. comm. de baptism. Keckerman. in System. Theol. lib. 3. cap. 8. Wendelin. lib. 1. Christ. Theol. cap. 22. Maccov. Loc. comm. disp. 17. pag 366. Patrocinatur immersioni exemplum Christi, Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ: deniqve Paulus inde pulcherrimam exstruit analogiam Rom. 6. 4. Viderint, qvid hic responsuri Calviniani, qvicqvid vero responderint sciant, id sibi responsum à nobis esse. Nimirum in tota hac collectione committitur ignoratio Elenchi. Non enim simpliciter qværitur, an sicut Christus fregit panem, ad distributionem scilicet, à nobis qvoqve frangi & distribui possit debeatq; , sed id qværitur, an frangi debeat gratia repræsentationis & adumbrationis, sive præfigurationis. Hoc extremè negamus. Sed nec mandatum Christi hic monstrare possunt. Urgent qvidem τὸ Hoc facite: sed facile omnes perspiciunt oculati, hæc verba non ad fracti-

fractionem, sed ad manducationem referenda esse, ipso Apostolo judice, qui sic exponit: Quotiescunq; panem hunc ederitis & c. mortem Domini annunciate. Quod si ad omnes circumstantias τὸ Hoc facite extendere voluerimus, etiam nocte, etiam extra templa, etiam cœnæ tempore tantum, etiam recumbentibus, nec nisi Paschalis tempore erit cœna administranda. Porrò infirmum est argumentum ductum à notatione nominis: cœna qvippe dicitur hæc actio à tempore, neqve tamen inde seqvitur, tantum cœnatis dispensanda hæc misteria esse. Et notum est, frangendi vocem apud Ebræos sæpè complexe sumi, pro fractione & distributione. Si complexe sumatur, haud diffitemur distributionem esse partem cœnæ essentialem. Sed sic extra statum qvæstionis versamur. Vide Calvinum in Act. 2, 46. Similitudinem inter panem & corpus Christi, inter vinum & sangvinem Christi agnoscimus, deqve eo diximus cap. præced. Sed & hoc agnoscimus repræsentari, qvod Patres inculcare solent: sicut ex farina multa unus fit panis, ex acinis uvarum expressarum multis unum fit vinum: ita ex piis uno & eodé pane vinoq; communicantibus, unum in Christo fieri corpus. Sed, qvod inde colligunt Calviniani, nihil est. Si enim ad unitatem spiritualem designandam necessaria est fractio panis

nis unius, & distributio in multos, qvid fiet diverso pane vescentibus in una sacra cœna apud Calvinianos? qvid fiet his, qvi diversis in locis communicant, diversisq; panibus vescuntur? numqvid hi communione illa, qvam præfigurari dicunt, destituuntur? & numqvid tantum illi qvatuor, in qvos una massa apud Calvinianos dividitur, communionem colere dicendi sunt? Sed hæc nimis conspicuæ falsitatis missa faciamus. Secunda ratio, eaq; principalis, hæc est. Qvod de uno affirmatur, de altero simpliciter negatur, id esse fundamentum similitudinis & analogiæ neqvit. Atqvi fractio de pane affirmatur, de corpore Christi simpliciter negatur Joh. XIX, 33. E. fractio non potest esse fundamentum similitudinis & analogiæ. Excipiunt hic plurima. Primo dicunt, *apud Paulum dici corpus fractum. Si fractum est, utiq; aut propriè fractum est aut Metaphoricè. Non illud, ut manifestum est; Ergo hoc. Porro si est Metaphora, est quoque analogia quædam, quæ alia non potest esse quam inter panis fractionem & corporis fractionem* &c. Respondeo, toto cœlo errare Adversarios. Fatemur, corpus Christi esse fractum Metaphoricè, ducta metaphora à summis doloribus, diraq; & lentâ morte crucifixionis, qvâ ratione dicit Esaias cap. LIII, 5. Christum attritum esse propter iniqvitates nostras: & Ezechias

Esa.

Esa. XXXIIX, 13. qværitur. qvod sicut Leo contriverit omnia ossa ipsius Vide Psal. XXII, 15. 18. 19. Atqve ad hunc modum ipse qvoqve Calvinus explicat Comment. in I. Cor. XI. pag. 141. ubi sic loqvitur: *Aliqui exponunt de panis distributione, quia corpus Christi manere integrum oportuit &c. Ego &c. frangi interpretor immolari, impropriè quidem, sed non absurdè. Nam ut cunq; nullum os mutilatum fuerit, corpus tamen ipsum primo tot tormentis & cruciatibus, deinde crudelissimo mortis supplicio expositum, non potest illæsum dici: hoc frangi, vocavit Paulus.* Recte. Sed qvid hoc ad nostram Andromachen? Ubinam Paulus dicit à nobis esse frangendum panem, ut figuretur & adumbretur fractio corporis Christi? Hoc reqvirebamus: hoc est κρινόμενον: hoc nisi ex scriptura monstraveris in Elenchi ignoratione manifestò deprehenderis. Nisi demonstraveris, inqvam: nam argumenta à probabili, seu excludente absurdum nimis sunt debilia, cum agitur de re ad substantiam Sacramenti pertinente. Sed fortius stringamus adversarios. Analogia est comparatio eundem λόγον habentium, seu eandem vel similem rationem obtinentium. Atqvi panis & corpus non habent eandem vel similem rationem, sed dissimilimam panis qvippe in particulas discerpitur, corpus non est comminutum in particulas. Ergo inter hæc

ter hæc duo immanis est discrepantia, nec ulla intercedit similitudo. Et vero si similitudine tantopere delectantur, cur non panem flagellant, cædunt, pungunt, ut tanto sit expressior repræsentatio? Neqve est, qvod hic *distinguas inter ossi fragium & ζωμξυλασιαν seu corporis fractionem, dicasq; illud in Scripturis de Christo negari, non autem hanc.* Respondeo in corpore humano non carnem, sed solida ossa propriè dici frangi. Et certè Johanni bellum indicunt tales glossæ, apud qvem exstat talis vox (συντριβήσεται) qva omnes dissectio avulsio, luxatio & fractio removetur, sive ossium, sive totius corporis structuram sive junctura articulorum spectes. Tandem dicunt panifragio propriè dicto, corporis fractionem impropriè dictam repræsentari, & hoc fine comminiscuntur analoga diversi modi. Sed distiunculæ sunt, & petitur id, qvod est in principio. Qvin contra principia disputatur, cum propriè dictum panifragium fieri debere contendunt, ut impropriè dictam corporis fractionem repræsentet. Si enim fractio panis ut signum adumbrat fractionem corporis Christi in cruce ut rem signatam, seqvitur in rem signatam magis qvadrare fractionem qvam in signum. Propter qvod enim unumqvodq; tale est, illud magis tale est. Et terminum significationis in signato esse oportet, non in signo.

gno. Atqvi Calviniani rem invertunt, & terminari fractionem in pane, ut ideo dicatur corpus Christi fractum, qvia frangitur panis, & magis convenire fractionem pani, impropriè autem & minus corpori contendunt. Nec est, qvod objicias exemplum circumcisionis. Hujus enim signatum primarium & principale est Christus: Hunc enim ex semine Abrahami nasciturum circumcisio facta membro genitali primariâ intentione significabat, de qvo vide Frantzium de Sacrificiis disp. IX. At circumcisio spiritualis est consequens Sacramenti & in nobis perficitur. Diversa ergo res est.

§. XV. Tertio sic ratiocinamur? omnis analogia sacramentalis N. T. debet esse clara atqve ad minimum clarior Veteri Testamento. Atqvi analogia inter fractionem panis & corpus Christi non est clara, nec est clarior Vet. Test. E. analogia illa non est analogia Sacramentalis. Majorem qvi negat, is lucere solem negabit. Minor autem est manifesta. Nam nec clara est illa analogia, in qvâ tot sunt dissidia ipsorum adversariorum: & verbo umbra Vet. Test. v. g. agnus paschalis multo clarius repræsentavit corpus Christi pro nobis in mortem datum, qvam id præstat fractio panis. Nec est qvod dicant Adversarii, *idololatriam quandam esse, si quis aliam communionem cum Christo in Sa-*

cramentis Nov. Teſt. ſtatuat, quam in V. fuit, adeoq; tam in V. quia in Nov. Teſt. præfigurationes dominari. Qvam enim hoc adverſante veritate dicatur, agnoſcunt alii, qvi fractionem panis non qvidem præfigurare fractionem dicunt corporis Chriſti, ſed tantum repræſentare & figurare: præfigurare enim eſſe ê longinqvo futurum oſtendere. Ergone figuræ Chriſti etiam in Nov. Teſt. locum habent? Arqvi hoc expreſsè negat Apoſtolus Coloſſ. 2. Ebr. 10. Excipies, N. T. continere εἰκόνα ὑποκειμένων: ubi εἰκὼν eſt, ibi eſſe imaginem & figuras. Reſpondeo, minimè gentium. Etenim, qva præſentia Patres in Vet. Teſt. Chriſtum habebant, ea per εἰκόνα ſive expreſſam imaginem hic non intelligitur. Atqvi figurata & umbratica præſentia Chriſtum ſibi præſentem in ſacrificiis habuerunt. E. umbratica & figurata præſentia hic per imaginem non intelligitur. Excluduntur ergo figuræ Calviniſticæ. Porro excipiunt, *quanquam agnus paſchalis craſſius repræſentaverit corpus Chriſti, eſſe tamen in pane evidentiorem repræſentationem, quæ conſtat in verbo promiſſionis* &c. Qvid audio? evidentiam externo illi ritui conciliat verbum? Atqvi contrarium potius verum eſt, qvod verbo evidentius ſit Sacramentum, qvanto evidentius eſt qvod videtur, qvam id qvod auditur:

ὁρᾶται

ὀφεῖλον qvam ἀκούειν. Nec Sacramentis opus esset, si major esset evidentia verbi qvam Sacramentorum. Tandem ἀναλογία inter Agnum Paschalem & Christum est evidentissima, qvantum qvidem permittit Veteris Testamenti captus: ἀναλογία inter panem & corpus Christi est infinitis partibus obscurior, incohærens, & humanis ratiunculis excogitata. Ultimum argumentum hoc est: Si in priore Cœnæ parte talis ἀναλογία est constituenda, seqvitur, qvod etiam sit constituenda in posteriore. Atqvi verum prius secundum Calvinianos. E. etiam posterius. Si Majorem concesserint, aliter subsumimus: Atqvi falsum posterius. E. etiam prius. Majoris connexio inde patet: qvi actibus integrantibus in parte anteriore totidem respondent actus integrantes in parte posteriore. Si igitur pars Cœnæ prior habet actus integrantes qvinqve, non potest non totidem habere pars posterior. Cœterum non consentiunt Adversarii in explicanda ἀναλογία. Alii enim dicunt *in hoc consistere analogiam, quod, cum sanguis in ora fidelium infunditur, significetur effusio sanguinis de latere Christi.* Et huc detorqvent nobilissimas Antiqvitatis sententias. *Ora nostra sanguine Christi rubere* ait Cyprianus. Et Augustinus, *Hoc*, inqvit, *accipite in pane, quod pependit*

in cruce hoc accipite in calice, quod effluxit ê latere. Item, *sanguinem ejus sub vini specie & sapere potamus.* Alii dicuni in hoc consistere analogiam, qvod, *sicut vinum è vase majore in poculum effunditur, sic sanguis Christi effundatur ê venis.* Respondemus & posterioribus qvidem, si ad eum modum permittatur cuivis fingere, qvod collubitum est, Theologos deinceps pictoribus atqve Poëtis in audendo & fingendo haudqvaqvam concessuros. Unde probabitur, Christum ê vase majore in poculum effudisse vinum, atqve huic similitudini viam straviſſe? Adde, qvod repræsentatur id, qvod est invisibile, teste Bucano Instit. Theol. pag. 566. 571. Unde conficitur, sanguinis effusionem, qvippe qvæ visibilis est, repræsentari minimè posse. Prioribus respondemus: sic in posteriore parte esset analogia ejusdem modi: nam & sangvis & vinum proprie effunduntur. Absurdum autem, in unius Cœnæ institutione geminam analogiam constituere. Dicta Patrum rectè habent: loqvuntur enim de unione sacramentali panis & corporis, vini & sangvinis, qvam nos propugnamus & Calviniani oppugnant, atqve hoc fine fractionem panis adhibent. Id enim testatur. Pareus de Symb. Sacram. & ritu fractionis lib. 2. cap. 16 *fractionem nempe panis urgeri,* à Calvinianis, *& adhiberi, ut sic præsentia corporis Christi*

Christi realis in sacra cœna ex cordibus hominum avellatur. Quod diligenti observatione dignissimum est. Hæc enim vera causa est, cur hactenus infractionem illam panis Calvinisticam, ritum alias ἀδιάφορον, consentire Ecclesiæ nostræ nec potuerint nec debuerint. Longe melius de fractione panis judicavit Anglicanus Episcopus Johan. Juellus contra Hardingum articulo II, ubi multis adductis Patrum Testimoniis tandem concludit: *Sacramentalem panem in partes divisum, non ut nova mysteria indicaret, sed ut populus communicaret.* Idem sentit Musculus in locis Comm. pag 321. Aretius Probl. 82. de fractione panis. Zanchius lib. 1. epist. pag. 229. sic scribit: *Omittendo fractionem nos nullum apertum Dei mandatum transgredi: nullibi mandatum esse saltem, ut in mensa frangatur panis: ad hoc ut distribuatur, perinde esse, sive extra mensam, sive in eâ frangatur. Patres ita fractionem interpretatos fuisse, ut occasione magnorum, in paschalibus cœnis adhibitorum, panum sit usurpata: comparat cum cæremoniis liberis: refert inter accessoria &c. arbitratur non introducendam esse fractionem invita & reclama te majori Ecclesiæ parte, ne dum panem volumus frangere, frangamus simul corpus Ecclesiæ.*

§. XVI. Supersunt minoris momenti controversiæ circa adiaphora Cœnæ. De porrectione symbolorum sacrorum in manus, qværitur an sit

an sit necessaria. Ita sentiunt Adversarii nostri μετάδοσιν rejicientes ceu rationem brutæ magis qvam humanæ communionis & suam ἐγχάραξιν, velut historiæ Cœnæ dominicæ & formæ discubitus Christi & Apostolorum unicè convenientem. Vid. Cham. Tom. IV. lib. VII. cap. XX. n. 1. Trelcat. lib. 2. de Cœna Dom. pag. 173. & adde qvæ habet Casaub. Exercit. XVI. §. 50. Nostra sententia est, liberum esse manibus panem apprehendere vel ore, & calicem in manus tradere, vel ori admovere. Λαμβάνειν qvippe generale est, & ore qvoqve fit Joh. 19,39. Consentit Beza Vol. III. Epist. 2. *Sentio*, inqvit, *sumptionem simpliciter & absolute ac prorsus necessario requiri ad hujus Sacramenti usum. Ut autem sumptio sive acceptio hæc manu fiat non item.* Tossan. de conf. Evang. pag. 123. censet, *perinde esse sive ore sive manu sumatur, nec de eo movendas esse lites, cum multi tam tremulas habeant manus, ut Eucharistiam manu apprehendere non possint*, &c. Initio qvidem usitatum erat manu accipere: qvod tamen postea ex singulari reverentia vel linteamine vel vasculis factum, donec tandem in os inderetur, cui mori viam straviſſe videtur Cacoethes nonnullorum, qvi panem manu acceptū in Ecclesia non comedebant, sed domum secum asportabant eoq; abutebantur. Vid. Euseb. lib.

lib. VII. hist. cap. IIX. & Theodoreti lib. V. histor. cap. 19. Qvibus anathema dicit Concil. Cæsar August. I. Can. 3. eosq; velut sacrilegos propellit. Tolet. I. Can. XIV. Secundo de panis elevatione qvæstiuncula est, qvam licitam esse statuimus, non qvidem ad adorationem, sed commonefactionem: Sursum corda. De porrectione Cœnæ qvæ fit ægrotis, majori studio dimicatur. Wolffgang. Musculus L. de Cœna ejusq; recta dispensatione qvæst. 2. *Ecclesias abstinere privata ægrotantium communione docet 1. quoniam communionem Cœnæ dominus voluit esse Ecclesiasticam & publicam, 2. ne spe impetrandæ communionis privatæ deserantur publicæ, 3. ne aperiatur aditus opinioni operis operati & præpositeræ fiduciæ,* &c. Similia habent alii. Nobis probatur privata communio, qvia & Servatoris & Apostolorum exemplo nititur Luc. XXII. 11 Act. II. 46. Qvod secuta est Ecclesia primitiva. Just. Mart. Apol. II. sub fin. Euseb. lib. V. hist. cap. 23. & 43. Concil. Eliber. Can. 2. seqq. Ancyran. Can. 6. 16. Nicæn. Can. 12. Carthag. IV. Can. 76. seqq. & VI. Can. 13. qvi sic habet: *De exeuntibus vetus & Canonica lex custodiatur & nunc, ut, qui mori sperantur, novissimo juvamine non priventur,* sive, ut Felix III. Rom. Epist. 7. Tom. 3. Concil. loqvitur, *Viaticum ijs non negetur.* Suffragatur Beza. Qvanqvã enim lib. de Cœna contr. Westph. publicam commu-

communionem unicè urgeat, subjicit tamen ista: *Si tamen id sine superstitione & offendiculo atq; etiam cum ædificatione Ecclesiæ observari alicubi potest, nolimus sane ob eam causam Ecclesias scindere*, &c. Vid. Amand. Polan. lib. VI. Syntag. cap. 56. De altaribus non est quod contendamus. Sint ea lapidea vel lignea. Interim lapidea non submoveantur: horum enim vetustissimum usum esse Gregor. Nyss. Serm. de baptismo docere nos potest: *Altare*, inquiens, *lapis est natura communis nihil differens ab alijs crustis lapideis ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur, sed ut Dei cultui consecratum atq; dedicatum est, ac benedictionem accepit, Mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab hominibus, sed à solis sacerdotibus ijsq; venerantibus contrectatur.* Aliàs in Africa lignea fuisse Optatus Milevitanus testis est adverf. Parmen. lib. V. init. ubi docet, *morem fuisse, ut linteamine tegerentur, in illis reponeretur panis & vinum in calicibus, & præsens esset corpus atq; sanguis domini, deniq; ad illa preces funderentur.* Ex qva materia fuerint calices non addit Optatus. Augustinus in Ecclesia Cirtensi in Africa sub Diocletiano & Maximiano Impp. repertos fuisse calices duos aureos & sex argenteos testatur lib 3. cont. Cresc. Gram. cap. 29. In Ecclesia primitiva vitreos fuisse calices constat, qvibus expressa cer-

nebatur

hebatur effigies Pastoris ovem humeris gestantis, de qvo vid. Tertull. lib. de pudicit. cap. 5. & 10. Erant & lignei calices in sacris usitati, qvos una cum vitreis Concilia sustulere Rhemense Can. 6. & Tribur. c. 18. Scilicet regnantibus Impp. Christianis pretiosorum vasorum usus invaluit, usqve adeò ut Julianus præfectus Orientis Apostatæ Avunculus totum apparatū Antiochiæ intuitus, dixerit: *En quam sumptuosis vasis Filio Mariæ ministratur!* Theodoret. lib. III. histor. cap. 11. Hæc obiter. De hostiis & placentalis orbicularibus adhuc acrior pugna est, & nomen & rem abominantibus Adversariis. Nos nomen hostiarum retinemus non sensu Papistico, sed sensu Christiano. Sacrificium in Missa agnoscimus, qvanqvam Missam esse sacrificium pernegemus. Credimus enim, idem numero sacrificium, qvod fuit in cruce, esse qvoqve in Eucharistia, eandem nempe hostiam live victimam, qvam præsentem in Missa precibus Deo Patri offerimus, hoc est, Deum patrem per Christum Christi mortem & meritum obtestamur atqve precamur. Et ad hoc sacrificium respiciunt separata consecratio, separata datio, & separata sumptio corporis & sangvinis Christi, forma item verborum, qvibus Christus distribuit sangvinem, sub mentione effusionis & Novi Testamenti, qvibus omnibus repræ-

repræsentatur oblatio facta in cruce & mors Christi. Inde tamen non seqvitur, actionem sacrificandi, qvam in Ecclesia peragunt Presbyteri, qva rationem sacrificii formaliter accepti, eandem esse specie cum illa actione sacrificandi, qvam in cruce peregit Servator. Hostiarum nomen adhibet Fulgent. de Fid. ad Pet. vid. Justin. Mart. dial. cum Triph. & Irenæum lib. IV. c. 32. 34. Conf. Cassand. Liturg. c. 27. Sed ad orbiculares placentulas redeamus, qvos rejici ab Adversariis miramur, qvi cum Beza defectum aqvæ & vini in Sacramentis alio liqvore suppleri posse statuunt, de qvo dictum §. 2. Esse verum panem nostras placentulas ex definitione panis liqvidum est. De nutrimento nemo dubitabit, qvi cogitaverit, hanc proprietatem habere triticum præcunctis granis, qvod nutribilius est cœteris propter similitudinem humanæ complexionis. Sit ergo in libertate positum panem grandiusculum communem cibarium vel nostras orbiculares placentulas adhibere. Non enim in Cœna qværitur cibus ventris, sed mentis. Frustra ergo nobis opponitur qvantitas, corpulantia, subactio & concoctio. In usu jam fuisse ante sex secula & qvod excurrit patit ex ordinis Romani expositione, cujus authorem putant Bertholdum Constantiensis Ecclesiæ Presbyterum; qvanqvam is panis hasce mi-

ſce minutias, ut vocat, improbet. Ubi nota improbari, non qvod panis verus non ſint, ſed ob parvitatem. Honorius Auguſtodunenſis Presb. in Gemma animæ ſive lib. de divin. offic. c. 35. Tom. X. Bibl. Patr. *Panem ideo in modum denarij formari* docet, *quia panis vitæ Chriſtus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur.* Sed hæc in medio relinqvimus.

§. XVII. Qvæ reſtant adiaphora, minimi ſunt momenti, perſtringenda tamen de ſacris veſtibus qværitur, *quas velut profanas a ſancto ſuo cœtu ſe arcere* confeſſio Helvetica th. 23. fatetur. Nobis tales novitates non placent, qvi veſtes candidas exanalogia V. & N. T. admittimus ad teſtandum cordis candorem & munditiem, qvomodo & Angeli apparuiſſe leguntur veſte candida Matth. XXIIX. easq; ante mille annos & qvod excurrit, in uſu fuiſſe ſcimus. Sufficiant eâ de re teſtimonia Chryſoſtomi & Hieronymi. Ille hom. 83. in Matth. in fine ſacerdotes ſic alloqvitur: *Hæc eſt dignitas veſtra, hæc ſtabilitas, hæc corona præcipua, non ut tunicam inducti candidiſſimam per Eccleſiam ambuletis.* Hujus lib. 1. contr. Pelag. cap. 9. ſunt iſta: *Quæ ſunt, rogo inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem? ſi Epiſcopus Presbyter & diaconus & reliqvus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrorum cum*

candida veste professerint? Concil. Carthag. IV. can. 41. sancit, ut *Diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis alba induatur.* Cereos in qvibusdam Ecclesiis ad S. Eucharistiæ administrationem accendi jubemus, ut cœnam dominicam nos peragere meminerint & simul recordemur nocturnorum conventuum, qvos pii in Ecclesiâ primitiva sub persecutionibus gentilium egerunt. Et hoc admordent Adversarii, contendentes â gentibus hunc morem in Ecclesiam manasce. Sed non seqvitur: Gentiles adhibebant lucernas in sacris suis. E. hunc morem Christiani ab illis mutuati sunt, sicut non seqvitur, gentiles sacrificia adhibuerunt, ergo ab illis ad Judæos mos sacrificandi defluxit. Cereorum in Ecclesia usitatorum meminit Nazianz. orat. XL. in Baptism. & Epiphan. Epist. ad Joh. Hierosol. qvæ est LX. apud Hieron. in fin. cap. 5 & August. serm 33. de diversis. De Acolythorum officio Conc. IV. Carth. can. 6. sic statuit: *Accipiat ab Archidiacono ceroferarium cum cereo, ut sciat, se ad accendenda luminaria Ecclesiæ mancipari.* Ejus ceremoniæ rationem optime expressit Isid. Hispal. lib. VII. Etymol. cap. de Cleric. *Acolythi Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur â deportandis cereis, quando Evangelium legendum est, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad*

fugandas

fugandas tenebras, dum Sol eodem tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur: erat lux vera, quæ illuminat &c. Sunt inter veteres qvi in candelas invehuntur: Sed hi loqvuntur de usu candelarum Gentilibus recepto, qvi in Deorum suorum cultum candelas accendebant, & comparate intelligi debent, qvod internæ potius qvam externæ illuminationi studendum sit. Sunt inter Adversarios qvi de templis & campanis utiisq; utensilibus qvibus olim ad idololatriam & superstitionem usi Papistæ sunt, litem movent. Sed hæc non imprimunt rebus charecterem indelebilem, qvin purificari & in legitimos usus impendi qveant. Qvomodo Theodosium Alexandrinum legimus Bacchi templum in Christianum, & statuas in utensilia necessaria templi ususq; pauperum convertisse. Idem in Anglia staruit Gregorius Episc. Rom. apud Bedam Hist. Eccles. lib. 1. cap. XXX. scribens Mellito Abbati: *quod fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant; sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur, aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ componantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut a cultu dæmonum in obsequia veri Dei debeant commutari, ut dum gens ipsa eadem fana sua non videt de-*

strui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consuevit familiarius concurrat. Sed ad alia transeamus. Qværitur an diversi gradus inter Ecclesiæ ministros concedi possint; Et affirmatur ex instituto Christo Eph. 4, 11. Apostolorum item, & primitivæ Ecclesiæ consensu, de qvo vide 1. Tim. 5, 19. 22. Et hic, ut in aliis, qvæ tetigimus, consentientem habemus Ecclesiam Anglicanam: qvanqvam hæc ipsa res Puritanos male habeat, nec videatur intemperi ei illius, qvæ nobilissimam insulam vexat, atqve insolentissimæ impotentissimæqꝫ insaniæ, cujus specimen editum ante aliqvot annos fuit luculentum & truculentum, omniumqꝫ piorum suspiriis & lacrimis proseqvendum, causa postrema fuisse. Qværitur & hoc an Presbyteri duorum sint generum, alii Clerici, alii Laici. Affirmat Beza negant Britanni, qvi tamen γέροντας laicos admittunt. E, qvibus unum sufficiat adduxisse, Joh. Forbesium, qvi Institutionum Historico-Theologicarum lib. 10. cap. 5. num. 36. hæc habet verba: *Evangelium aptè, perspicuè, sapienter prædicare, majoris molis & moliminis opus esse, quam Sacramentum administrare: illud paucorum esse, hoc autem æqualiter fieri ab omnibus posse sacerdotalem ordinem habentibus. Et hoc discrimen Chrysostomus dicit suo etiam tempore observatum fuisse, ut ij Presbyteri*

byteri, qui uberiori scientia & sapientia præditi erant, magis operi prædicationis adhiberentur, & propter ingentem eorum, in hoc magis laborioso exercitio, laborem, exonerarentur magna ex parte administratione baptismi, quæ aliis Presbyteris demandabatur. Et huc applicat illud Apostoli dictum Chrysostomus. Qvi benè præsunt Presbyteri, duplice honore digni habeantur: maxime qvi laborant in verbo & doctrina. Hactenus Forbesius, qvi alibi, nempe lib. 16. cap. 1. num. 17. observat, *quosdam in Ecclesia veteri fuisse laicos, non πρεσβυτέρους, sed γέροντας appellatos in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, canone centesimo, qui cum essent fideles & prudentiores de plebe, res quædam Ecclesiasticæ illorum fidei committebantur, & eorum consilio atque auxilio Pastores utebantur, prout ipsis commodum videbatur. Apud omnes utiq; gentes* (inqvit Auctor commentarii, qvi Ambrosio tribuitur 1. Tom. 5, 1.) *honorabilis est senectus. Unde & synagoga & postea Ecclesia seniores habuit: qvorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesiâ. Quod qua negligentia absolverit, nescio, nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum sibi volunt aliquid videri &c.* Vid. Dn. D. Calov. Consid. Armin. p. 477. De festis diebus qværitur, an celebrandi. Qvos exemplo Antiqvitatis nos admittimus, pios nimirum, liberos, utiles, rariores. Lectiones qvoqve Dominicales & pericopæ Evangeli-

orum & Epistolarum, qvæ nobis in usu sunt, & nonnullis Adversariis exagitantur Qvibus os obturant alii ejusdem sectæ Vid Sibel. proleg. Conc. in Fest. Nos eas retinuimus liberè non minus qvàm utiliter, tanqvam epitomen bibliorum, pro ædificatione majorum tardiorum & rudiorum. Deniq; pro choreis & Comœdiis pugnari solet. Nos, ut minimè damnamus choreas, si sint moderatæ, si fiant idoneo tempore & loco, si præsentibus honestis personis, si absit levitas: ita comœdias qvoqve toleramus, imò commendamus, si spirent pietatem, honestatem & careant scandalo, qvanqvam nec id diffiteamur, plerasq; hodiernas tales minimè esse, minimèq; decere Christianum, hoc est, hominem serium, gravem, pium, moderatum.

§. XIIX. His itaq; pertractatis accingamur qvæstioni illi dissolvendæ: *An Ecclesia nostra Calvinianis abrogationem ceremoniarum, rerumq; adiaphorarum, quibus ex libertate Christiana utimur, urgentibus, jure cedere debeat atque tuto cedere possit?* Solent nimirũ Calviniani hoc stratagemate uti, ut qvoties dogmatibus suis Ecclesiam aliqvam deformare, vel ut ipsi vocant, reformare volunt, reformationem hanc incipiunt non â dogmatibus de prædestinatione, persona Christi, & sacramentis, sed ab adiaphoris, & ceremoniarum abrogatione, ne simpliciores olfaci-

olfaciant, qvid rei agatur. Contra Lutheri vo est: *tamdiu religionis Christianæ integritatem duraturum, quamdiu libertatis Christianæ privilegia sarta tecta retinuerit Ecclesia.* Evicto hactenus, ritus illos adiaphoros esse & utiles, de qvibus nos inter & Calvinianos disceptatur, probatu haud difficile est, cedi nec tuto posse, nec debere. Nam qvæcunq; cessio naturæ rerum adiaphorarum repugnat. 2. liberratiq; Christianæ & 3. officio fidelium & 4. generali mandato de usu rerum adiaphorarum, deniqve 5. praxi Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ adversatur, illa nec licita nec tuta. Atqvi cessio, qvam urgent Calviniani talis est. E. Minoris membrum primum sic probatur. Vel enim ceditur liberè vel coactè. Illud fieri non potest, clamantibus Adversariis, ritus, qvos pro adiaphoris habendos esse diximus, illicitos esse. Unde relinqvitur coactè cedendum, qvod pugnat cum libertate Christiana. Secundum membrum probatur Gal. 5, 1. Porro officium fidelium est, non tantum malitiosè insidiantibus libertati Christianæ nihil in ejus præjudicium concedere, verum etiam eo tempore, qvo religionis orthodoxæ puritas sive indirectè sive directè ab hostibus veritatis oppugnatur, confiteri veritatem Matth. 10, 33. 2. Cor. 6, 14. 17. Qvartum membrum ex 1. Cor. 14. 26. 40. 1. Cor 10, 23. seqq. est manifestum.

manifestum. De qvinto videatur Act. 15. caput. Gal. 2, 3. 1. Cor. 9. 22. &c. Hæc de qvæstione illa, adeoq; de adiaphoris sufficiant: circa qvæ pro clausula illud addimus, semper probatam nostræ Ecclesiæ atqve ipsa praxi comprobatum fuisse regulam illam, qvam tradit Wilhelmus Zepperus in Politia Eccles. lib. 1. cap. 9. his verbis: *In ceremoniarum correctionibus, quemadmodum in omnibus reformationibus Ecclesiasticis, nequaquam ab executione, sed à doctrina & institutione populi initium fieri debet, & abusus prius ex cordibus quam externus ceremoniarum usus & aspectus ex oculis ejiciendus: ut intelligat Ecclesia jure & merito tales reformationes suscipi, secus si fiat, non Christiani, sed aut hypocritæ aut præfracti ab obstinati; imo & rebelles atque seditiosi fiunt homines, infirmiq; ab agnitione & investigatione veritatis retrahuntur* Salutare monitum! cui utinam parere, qvem impotenti spiritui adversarii maluissent! Faxit Deus pacis, ut omnes eodem animo mutuo simus affecti, & concorditer uno ore glorificemus Patrem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

COROL-

COROLLARIUM.

De Arminianis.

ERroribus Arminianorum ortum dedit Jacobus Arminius, qvi primum Amstelodami Dei verbi minister, postea in Academia Leydensi Theol. D. & Professor horridam illam Calvini & Bezæ de Prædestinatione &c. sententiam examinare atqve refutare cœpit, non tamen sine erroneis oppinionibus, qvas tum ipse, qvantisper vixit, tum ejus discipuli & seqvaces foverunt. Erant ante Arminium Controversiæ jam exortæ in variis Hollandiæ locis Anno 1597. disceptantibus inter se Pastoribus de Prædestinatione, vocatione Hominum ad salutem, nec non de Confessionis Belgicæ & Catechismi Palatini in Ecclesiis publicis autoritate, qvin & recta ac genuina multarum phrasium & sententiarum in illis interpretatione, ut rem memorant, atqve ab ipso, qvod ajunt, ovo arcessunt ipsi Arminiani in actis Synodalibus Remonstrant: p. 84. Petrus Bertius Collegii Theologici Leidæ Regens, qvi primum Arminium sectatus, postea Papista factus est, oratione qvam habuit in obitum Arminii (extat hæc in operibus Theologicis Arminii Lugduni excusis Anno 1629 in ipso libri aditu & limine) occasionem, qva motus Arminius fuerit, explicat his verbis:

Circumferebatur, inqvit, *fortè quorundam piorum manibus libellus à quibusdam fratribus in Ecclesiâ Delfensi scriptus adversus Bezam hoc titulo: Responsio ad argumenta quædam Bezæ & Calvini ex tractatu de Prædestinatione in cap. 9. ad Romanos. Eum libellum, p. m. D. Martinus Lydius, qui antea Pastorem egerat in Ecclesiâ Amsterdamensi, tunc vero Professorem agebat, in nova Frisiorum Academia, transmiserat ad Dn. Arminium rogaveratq; adversus Fratres Delfenses patrocinium susciperet D. Bezæ. Credebatur à D. Lydio perquam idoneus huic rei Arminius, cujus & ingenium sagax & judicium acre & vim in docendo ac refutando mirificam, partim fama acceperat, partim ipse expertus fuerat. Neque erat omnino ab hoc Instituto Arminius alienus: recens enim ex Schola Genevensi auribus circumferebat sonum lectionum & argumentorum D. Bezæ. Accingit se ergo operi, sed dum molitur refutationem, dum argumenta utring; expendit, dum confert scripturas, dum se torquet ac fatigat, vero victus, primum secutus est sententiam illam ipsam, quam oppugnabat,* (Delfensium, qvi volebant posito decreto creationis & præviso lapsu qvosdam homines citra antecedentem prævisionem Jesu Christi electos esse ad salutem) *postea in eam divina vigula & Sp. S. ductu delatus est, quam ad finem usque vitæ constanter asseruit, hanc nempe; ex creatis & lapsis hominibus eos esse ad salutem æternam electos, qui vocanti*

anti Deo vera fidei obedientia responsuri essent. Hactenus Bertius.

Instituerat Arminius tum Pastor Amstelodami amicam per literas collationem, cum Franc. Junio Theol. D. & Profess. in Academia Leidensi, super Artic. de Prædestin. (extat hæc collatio in operibus Arminii p. 447. seq.) cum autem fatis concessisset Junius Anno 1602. successorem habuit in Professione Theologica ipsum Arminium in Academia Leidensi, ut ut initio cum difficultatibus nonnullis conjuncta res fuerit, de qvibus vid. Præfationem ad Ecclesias in Act. Synod. contra Remonstrantium B. 2. Franciscum Gomarum habuit Collegam simul & Adversarium, qvi cum Anno 1608. collationem instituit Hagæ coram supremæ curiæ Consiliariis vid. c. 2. & d. Initio res intra pauciores controversias stetit, nimirum has qvinq; de Prædestinatione, Lapsu Adami, de Libero Arbitrio, de Peccato originis, & de salute æterna infantium, ut videre est ex declaratione Arminii operum ejus p. 95. Postea autem manente numero qvinario ad hæc capita Controversiæ sunt reductæ: An Prædestinatio esset absoluta? An meritum Christi Universale? An in Conversione aliqvæ vires liberi arbitrii? An detur Gratia irresistibilis? An fides & gratia sit indefectibilis?

Sed

Sed & his qvinqve articulis postea adjectæ sunt aliæ Controversiæ tum ab ipso Arminio tum à Conr. Vorstio (hunc enim suarum partium esse ipsi agnoscunt Remonstrantes vid. Præfationis Lit. E.) Episcopio aliisq; Arminium secutis. Mortuum Anno 1609. 19 Octobr. Arminium, qvi sectati sunt, dicti sunt Remonstrantes à Remonstrantia seu supplice libello, prout patet tum ex actis Synodalibus contra Remonstrantium (ita dicebantur Calviniani propter libellum supplicem contrarium seu propter contra Remonstrantiam) præfatione ad Ecclesiam Lit. D. 2. Ipsa porro nomina Remonstrantium & contra Remonstrantium debere voluit Synodus Dordrechtana sententiâ synodali decisioni capitum controversorum subnexa pag 382. sed irrito conatu: hodienum qvippe Arminiani in Belgio Remonstrantes dicuntur, idqve ab ipsis Doctoribus Calvinianis.

Inter Remonstrantes & Contra Remonstrantes instituta est Collatio Hagæ Comitis Anno 1611. de qvâ vid. Præfat. sæpius citatam lit. D. 4. & seqventibus. Volebant Remonstrantes tolerati suam Doctrinam contra qvidem nitentibus Calvinianis, sed prævalentibus initio Remonstrantibus, qvi per Utembogardum Ecclesiæ Hagiensis Pastorem, Virum, qvi apud Proceres Belgicos inflagranti erat gratia, id qvod petebât impe-

impetrarunt, vid. Act. Synod. Remonstrantium pag. 15. & Contra Remonstr. præfat. Lit. E 3. Donec tandem per Synodum Dordracenam, cujus judicio se submittere nolebant Remonstrantes, eò qvod eosdem Actores simul & judices habere detrectarent, præterea ipsis non permitteretur copia eo modo & ordine agendi, qvem promiserant Ordines literis citatoriis (futurum videlicet, ut liceret ipsis defendere se, qvantum possent & necessarium judicarent) donec inqvam per Synodum Dordracenam doctrina Arminii damnata, ipsiq; Arminiani ex fœderato Belgio ejecti ac proscripti sunt Anno 1618 & 1619.

Articuli, qvos in Arminianis damnavit Synodus, sunt supra memorati; nimirum improbant cap. I. Electionem Conditionatam. II. Meritum Christi Universale. III. & IV. propugnant gratiam Irresistibilem, & cap. V. Indefectibilem, contraq; sentientes rejiciunt.

Reliqva doctrinæ capita, qvæ Arminianis imponebantur, non attigerunt. Rationem hujus rei licet colligere ex Epistola Remonstantium ad Theologos exteros, qvæ extat in actis Synod. Remonstr. pag. 12. ubi pag. 19. ita scribunt: *Testati sumus perpetuo; atq; etiamnum testamur, nihil nos habere speciatim extra Prædestinationis negotium, proterquam controversiam de revisone nostræ Confes-*

Confessionis atq; Catechismi (Palatini) *itemq; de authoritate Magistratus* (confer præfat. sæpe citatam Lit. C. 2.) *in Ecclesiasticis. Quod si quis præterea aliud quid doctrinæ caput moverit, personale id est, cujus defensio illi soli incumbit, qui id movit.* Hactenus Remonstrantes.

Qvod de revisione Confessionis atq; Catechismi dicunt, de eo videri possunt acta synodalia Remonstrantium pag. 86. seq. & pag. 102. seq. Obiter enim notari potest ex iisdem Actis pag. 40. qvibus conditionibus Remonstrantes voluerint Synodum legitime instituendam: qvarum hæc fuit I. Ut utraq; pars ad Synodum vocetur & citetur, sintq; tam Arminiani qvam Calviniani partes (non judices) adversæ; utq; utrisq; libertas concedatur justo numero aptos ex suo cœta deputandi. II. Ut salvus Conductus præstetur omnibus & singulis, qvi ad Synodum venient. III. Ut sanciatur ἀμνηστία. IV. Ut renunciatur omnibus pactis, obligationibus, condemnationibus, præjudiciis &c. V. Ut tantũ doctrina examinetur; personalia exulent, neminiq; ullo nomine molestia facessatur. VI. Ut utraq; pars idoneè audiatur & examinetur. VII. Ut scriptis utrinq; agatur & utriq; parti justum tempus detur scripta concinnandi, nisi forte utrinq; in collationem consentiatur viva voce. IIX. Ut ne fiat decisio de controversis articulis

sed

sed studeatur accommodationi, ne suffragiorũ numero, sed utriusq; partis consensu & moderatione mutua lis concilietur. IX. Ut qvi statua per conscientiam gravabuntur obseqvi, iis justum tempus concedatur deliberandi secum, &c. X Qvi decretis Synodi acqvieverit, ut ad Ecclesiæ communionem admittatur. XI. Si non acqviescat, atqve ob hanc causam publico ministerio exauctorandus videatur, ut possit cedere, dummodo ne ulteriore pœnâ vel politicâ, vel Ecclesasticâ gravetur &c. Sitq; penes Magistratum summum dispositio ordinis ac modi docendi, qvem in publicis Ecclesiis obtinere velit.

Hæ sunt Conditiones qvas ipsi Arminiani prolixè defendunt pag. 46. seq. Has conditiones cum minime paterentur sibi præscribi, minimeq; probarent Synodi Dordracenæ Patres, itum est communibus suffragiis in sententiam condemnatoriam, de cujus iniqvitate, præter ea, qvæ habent locis citatis Remonstrantes videri potest elegans præfatio, qvam suæ Ἀλφαπέψῃ præmisit Cl. D. Nic. Hunnius. Summa inaudito illo processu omnia Irenica scripta Palatinorum, Neostadiensium, Parei &c. una velut litura deleverunt, ipsaq; praxi demonstrásse Calviniani videntur, nihil fidei imposterum qvamlibet magnificis ipsorum pollicitationibus habendum esse. Qvanqvam vero ab omni non

tantum

tantum æqvitate, sed & veritate aliena fuerit sententia Dordracenorum in Arminianos, si summam rei spectemus, non tamen immunes ab erroribus fuerunt Arminiani, etiam ipsa capita controversa qvod attinebat. Nam & novitates phrasium electionis completæ, incompletæ &c. usurpant, & respexisse Deum ad bonas elegendi qvalitates, & imprimis cooperari voluntatem cum divina gratia aliaq; dicunt & defendunt minus orthodoxa, ut paulo post patebit. Sed hæc videri alicui leviora possent præ iis, qvæ postea confessione sua ejusq; apologia tuentur. Et profecto non injuria de Socinianismo illos Calviniani suspectos reddere conati sunt: qvanqvam nec hoc silendum sit, si qvid Socinianæ labis Remonstrantibus adhæsit, qvod omnino sic esse haud diffitendum, ut ex dicendis clarum erit, non ab aliis eos artes Socinianorum, qvales sunt spernere antiqvitatem, contorqvere scripturam &c. didicisse, qvam ab ipsis illis, è qvibus egressi sunt Romonstrantes, hoc est à Calvino & discipulis. Nimirum solemus homines vitia, qvibus ipsi maximè obnoxii sumus, in aliis maximè accusare. Sed hæc mittamus. Qvi consonantiam Calvinianorũ cum Socinianis cognoscere cupit, adeat cum alios Grawerum putà Balduinum &c. tum præsertim Cl. Gerhardi part. 2. Disp. Theologicarum,

rum, Vorstium item responsione ad F. Hommii specimen pag. 42. ad finem. Ad Arminianos redimus, qvorum errores tum ex confessione ejusq; Apologia & Catechesi tum ex privatis Doctorum Arminii, Vorstii, Episcopii, Grevinchovii &c. colligere licet. Sed privatorum sententias multitudini ascribere fortè inconveniens est. Qvare sufficiet ex Confessione, ejusq; Apologia errores eminentiores exsignasse. Hi vel sunt communes ipsis cum Calvinianis vel proprii. Ad communes refero doctrinam de persona Christi & Sacra Cœna. De illa crassius adhuc loqvitur Vorstius in Apol. Exeg. pag. 87. qvàm Calviniani. Verba ejus sunt: *Non ineptè responderi posset unionem duarum in Christo naturarum non in essentiali duarum naturarum individuantia, sed in arcano quodam & ineffabili Deitatis & λόγου in humanitatem influxu, hoc est, singulari quadam illius in hanc operatione, sive gratiosa hujus ad illam assumptione, aut peculiari appropriatione consistere.* Vide pag. 88. & 89. De Sacra Cœna res pluribus expedienda. Inter errores Arminianorum Hoornbeck pag. 475. Summ. Contr. Relig: & hunc recenset: *Num S. Cœna sit tantum in commemorationem mortis Christi* & non qvoqve in confirmationem & obsignationem gratiæ & salutis in Christo. Sed non negant Arminiani omnem obsignationem, ut patebit: interim si

negarent, eandem cum Calvinianis sententiam tuerentur. Utut enim pleno ore fateantur obsignare Sacramenta, si tamen accuratius res expendatur, & de reprobis qvæstio instituatur, manifestum erit, obsignationem nullam Sacramentis tribui posse. Imo etiamsi de electis sermo sit, ne ipsorum qvidem adspectu ulla efficacia per hypotheses adversatiorum Sacramentis relinqvitur. Audiri hic meretur Apologiæ Remonstrantium Censura adversum ipsos Censores pag. 244. *Quæro*, inqvit, *et quis ille modus relativus, sacramentalis aut spiritualis distinctus à significatione tum physica, qualis est signorum, quæ Bellarminus practica vocat tum morali, qualis est signorum theoricorum? Nec enim est modus, qui oritur ex signorum & rerum significatarum in Sacramentis unione aut connexione vel physica, qualis est materiæ & formæ, vel subjecti, & accidentis per inexistentiam, aut localem per indistantiam, aut spiritualem per infusionem virtutis alicujus in ipsis signis latentis. Nec est modus, qui oritur ex sola significativa virtute sacramentorum. Qualis ergo est? Calvinus, uti & Belgica Confessio ad occultam & mimbilem virtutem Dei eum referunt. At hoc tantundem est, atq; si dicatur: incomprehensibilis est, & ineffabilis.* Hoc vero qvid aliud est, quàm certum illum modum incertum statuere? Dicunt qvidem Censores, Sacramenta gratiam conferre fidelibus, ita ut non modo

modo significantia signa, sed & exhibitiva, seu media & instrumenta sint, qvibus Deus Christum cum beneficiis suis offert, & in legitimo sanctoq; usu magis magisq; confert. *At dicant & explicent intelligibiliter modum istum exhibendi sacramentalem, qui à significatione tum physica tum morali distinctus sit. Ut enim signum quà tale sit instrumentum seu medium exhibens rem signatam, citra aut supra significationem, ἀνυπέρβλητον est. Nihil enim agit ultra vel citra speciem seu virtutem potentiæ suæ. Necesse est, ut si intelligibiliter, velint sententiam suam proponere, exhibitionis illius instrumentalis modum faciant, vel Physicum vel instrumentalem. At neutrum faciunt. Quid aliud ergo restat, quam ut dicant, incertus est, ut plane ἄῤῥητος, Deoq; relinquendus? Et sane quis vel lyncea ingenij acie præditus percipiat signa instrumentaliter exhibere gratiam seu rem signatam, exhibitione tali, quæ nec sit physica tantùm, nec moralis tantùm significatio, nec utrumq; simul, sed aliud & amplius quid relativum & sacramentale? Tum quis intelligat signa ista concurrere, ut instrumenta seu media exhibitiva gratiæ, in iis, qui ea legitimè usurpant, cum ii, qui ea usurpant, antequam ea usurpent, de gratia promissa apud animum suum sint persuasissimi; imo cum idcirco signa ea usurpent, quia rem signis istis significatam jam ante firma fide apprehenderunt, & apprehensionem istam suam publicitus testatam fecerunt?*

Denique quis intelligat, signa sacramentalia esse instrumenta gratiæ collativa & exhibitiva, cum tota gratiæ salutaris operatio immediatè à Deo fieri in mente ac voluntate statuatur? Immediata operatio & instrumentalis sunt incompatibilia. Atq; hoc argumentũ idcirco majoris momenti videri debet, quod Calvinus & Rivetus, Censorum horũ unus, eo ipso pugnent contra Pontificios, qui Sacramenta dicunt esse instrumenta gratiæ collativa. Hoc enim est, *inquit Rivetus*, Dei actionem propriam & incommunicabilem in instrumenta immediatè transferre. Hactenus Apologia satis efficaciter adversus Calvinianos disputat. Dum autem pag. 243. exhibitionis modum physicum & hyperphysicum & miraculosum rejicit, & *Sacramentalem Evangelicam exhibitionem* defendit, *quæ gratia divina per signa quædam non eminus aut de longè repræsentatur, nec sub typis, umbris aut figuris quibusdam, ut multo pòst futura, velati per transennam ostenditur, sed qua gratia ista, ut jam præsens, ob oculos ponitur adeo clarè, ac si sensibus manibusq; palpanda daretur, adeo efficaciter, ut efficacius non posset affici anima à signis istis, manente salva atq; integra signorum & significationis natura ac proprietate:* & in iis, qvæ præcedunt, idololatriæ crimẽ non Papistis tantum verum etiam nobis, qvæ spirituales Sacramentorum effectus propugnamus, objiciunt his verbis, *Nec dubitandum est, qui primitus hos sacros ritus*

tus sublimibus & omnes τ ὑπερβολῆς limites excedentibus elogiis velut cothurnis quibusdam extulerunt, iisq; admirabiles incomprehensibiles & inexplicabiles effectus, nescio quo zeli æstro perciti, attribuerunt, ne apud populum vilescerent, idololatriæ gravissimæ occasionem imperitæ & incircumspectæ multitudini dederint : qvàm errent largiter nemini obscurum esse potest. Non enim tantum physica & miraculosa, sed mystica qvoq; exhibitio datur, qva cum materia terrena res cœlestis v. g. in cœna corpus & sangvis Christi communicantibus porrigitur, secundum ea, qvæ supra copiosè disputata sunt. Tum & illud censurám meretur, qvod M. Antonii de Dominis judicium suum faciunt, & in medio relinqvunt, num Sacramenta efficiant gratiam &c. Qvæ qvo pacto cum iis, qvæ seqvuntur de non neganda sacramentis operatione spirituali & efficacia conciliari qveant, ipsi viderint. Nobis enim tàm acutis esse non licet. Qvod autem in specie doctrinâ de S. Cœna, Arminiani non alium finem aut usum spiritualem Eucharistiæ agnoscere se fatentur, qvam solennem mortis Dominicæ commemorationem, & de obsignatione gratiæ sic scribunt pag. 250. *Obsignationem illam gratiæ & confirmationem fidei esse finem principalem ac præcipuum, & ex reali illa unione & communione cum ipsa corporis & sanguinis Christi substantia, ac non*

potius ex nostra illa actione resultantem ex Scripturis probari posse negant Remonstrantes. Quapropter etiam finem alium, quem Scriptum aperte ponit, non adsignare in Declaratione sua tutissimũ judicárunt. Et hac in re adsentientes habent non paucos Reformatos, inter quos Zwinglius, optimus hujus Ceremoniæ Doctor, princeps est. Nec dubitant, quin, si hujus rei accuratior ratio habita fuisset in principio Reformationis, immani & detestandæ idololatriæ Pontificiæ, quæ ex reali unione & communione cum ipsa corporis physici Christi substantia, quæ in Cœna fieri creditur, ortum suum habet, rectius ac solidius occursum fuisset. Atq; ut rem hanc altius paulum repetamus, distinctius nonnihil de ea hic agemus, ut quid per unionem & communionem cum corpore & sanguine Christi quem alterum eumdq; illustrissimum finem cœnæ dominicæ Censores faciunt, intelligatur. Certum est, Calvinum & Censores, qui eum ut magistrum suum per omnia serviliter sequuntur, mediam quasi viam inter Pontificios, quibus etiam Lutherani quam proximè accedunt, & Zwinglium, qui ab utriusq; longissimè recedit, inire, & per unionem sive communionem nostri cum Christo, quæ in Cœna fieri creditur, unionem & communionem eandem, qui à Pontificiis & Lutheranis statuitur, intelligere, quæ videlicet sit cum ipsa physica corporis & sanguinis Christi substantia, sed modo tantùm diverso, & quidem tali, cui, ut Calvinus loquitur lib. IV. Institut. cap.

cap. 17. part. 7. nec mens planè cogitando, nec lingua explicando pari esse potest. *Qua oratione se separat à Pontificiis & Lutheranis, qui modum istum, ut ita loquamur, corporalem faciunt, & à Zwinglio, qui modum istum, id est, manducationem corporis & bibitionem sanguinis Christi, nihil aliud esse dicit, quàm in Christum credere, uti manifestum est ex lib. IV. Instit. cap. XVII. 5.* Sunt, *inquit*, qui manducare Christi carnem & sangvinem ejus bibere uno verbo definiunt, nihil esse aliud, qvàm in ipsum credere: sed mihi expressius qviddam ac sublimius videtur voluisse docere Christum in præclara illa concione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat. *Hæc est illa communio quæ cœnæ illustrissimus finis est, ex Calvini & Censorum sententia, quamq; prætermissam in declaratione à Remonstrantibus conqueruntur Censores. At Remonstrantes fatentur se videre non posse ejusmodi communionem & unionem cum physica corporis Christi substantia, quæ in cibum animæ cedat, uspiam in scripturæ finem Cœnæ dominicæ statui, aut ratione ulla solida niti. Quod enim attinet concionem illam præclaram Christi, in qua Calvinus eum à Christo doceri credere se dicit, si ad concionem illam, quæ Johan. cap. 6. extat, respicit in ea de cœna dominica non agi certissimum est, quia tum nondum cœna dominica instituta erat, & in ea non panis Christi corpus, sed vice versa Christi caro panis esse dicitur,*

& esus carnis Christi ibi cum vita aterna indissolubili vinculo connectitur, quod de esu panis in Cœna dominica dici nullo modo potest, quippe qui ad judicium & condemnationem edi potest, I. Cor. XI. Sed nec ratio ulla est, qua sententia ista nititur: quin & rationes non leves sunt, quæ arguunt, modum istum communionis non tam ex Scriptura sanctum, quàm confictum tantùm fuisse à Calvino, ut Zwinglianis ex una parte & Pontificiis ex altera aliquid concederet; atq; ita, dum utrique parti aliquid indulget, commentum ipsius sine operosiore indagine ab utraq; parte minus ægrè admitteretur. Atque ut inquirendi omnis occasio præcederetur, mysterium ei attributum fuit quod nec mens concipere, nec lingua effari potest, quo ipso admiratio ceremoniæ hujus adeo aucta fuit, ut non minor fere idololatria sequuta quàm sopita fuerit, & quod caput rei est, peritioribus atq; accuratis rerum æstimatoribus ritus hic alioquin per se obvius, & facilis nescio cujus vanitatis suspectus & adversarius omnibus ludibrio propinatus fuerit. Nam, obsecro, communio illa cum ipsa corporis & sanguinis Christi physici substantia quem fructum dare potest, aut quem spiritualem in anima nostra effectum, inprimis cum fit communio cum corpore mortuo & sanguine effuso? Nec enim est communio cum Christo integro spiritu vivifico prædito, sed eum ipsius cadavere. In his duo eminent falsa, quibus tertium additur horrendum & anathemate dignum de communione

nione cum cadavere nullum fructum ferente. Malumus hic audire Athanasium, qvàm Bezam: *Christus*, inqvit Athanasius, *patiendo nihil detrimenti passus est, sed potius gratificatus est, & mortuus non mansit cadaver, sed potius* CADAVER VIVIFICAVIT, *& mactatus non interiit, sed sanguine suæ mactationis omnes simpliciter redemit:* in pass. Salv. Tom. III. Priori falso nos cum Papistis conjungimur. Transsubstantiatoribus, & Sacrilegis, à qvibus toto cœlo distamus. Altero Calvinus Zvvinglio opponitur, qvi tamen in summa rei, nempe negatione veræ præsentiæ corporis & sangvinis Christi, & defensione figurativæ adumbrationis atqve repræsentationis amicè conspirant, utut in explicatione nonnihil differant. Cœterum in iis, qvæ subjicit Apologia, felicius rem gerit, si excipias ubiqvitatem. Audiamus ipsos Remonstrantes: *Communio ista aut est communio cum substantia corporis Christi, ut in cœlis jam existente & manente, aut cum ea, ut in terra & in ipso cœnæ usu reipsa præsente. Si primo modo, quomodo non dici credibile sed possibile esse concipi potest, imò quomodo non impossibile adeoq; absurdum videri debet, corpus Christi quod est & manet in cœlis, & non alibi, verè communicari nobis, qui in terra sumus & non alibi, ita ut nobis cedat in cibum? Dices fortasse, unione & conjunctionem illam nostri cum substantia corporis Christi per fidem*

fieri, qua tanquam ore spirituali corpus ipsum Christi comedimus : At hoc consequenter dici non potest, quia communio illa, quæ per fidem fit, etiam ante & extra Cœnam locum habet adeoq; Cœnam ipsam præcedere debet. Deinde unionem & communionem illam, quæ per fidem est, diserte Calvinus distinctam esse vult ab unione illa & communione, quæ in Cœna fit uti ex loco ante citato manifestum est. Denique unio ista, quæ per fidem fit, non est incomprehensibilis, nec inperceptibilis, sed talis, quæ facile percipi potest. At unionem illam, quæ in cœna fit, esse incomprehensibilem & ineffabilem passim. Calvinus lib. IV. Instit. cap. XVII. distinct. 10. *Beza in tractatu de re Sacramentaria S. 9. Aliiq; docent. Si secundo modo, dicitur in cœna fieri communio cum substantia physica corporis Christi, tum ubiquitas corporis Christi, ut admittatur oportet & corpus Christi realiter nobis uniri, cumq; præsens sit corporaliter, tamen spiritualiter comedi, & quidem modo inexplicabili, ut concedatur necesse est.* Sed hoc transierint.

Errores Arminianorum proprii, hoc est, qvi ipsis cum Calvinianis non sunt communes, hi fere sunt:

I. De Dei attributis perperam sentiunt. De simplicitate Dei ne jota qvidem in Scriptura extare, totamq; illam Disputationem Metaphysicam esse ajunt Apol. pag 4. nec esse hoc qvæstum de simplicitate naturæ divinæ necessarium ad salu-

ad salutem pag. 42. Qvin haud obscurè Vorstium vel excusant vel defendunt, contendentem, falsum esse illud Scholasticorum: nihil esse in Deo, qvod non sit ipse Deus: ducto à decretis divinis seu liberis volitionibus argumento qvas Apologia ipsissimam Dei essentiam probari non posse ait. De Dei immensitate docent, modum illum divinæ omnipræsentiæ, qvod Deus secundum essentiam suam sit tum in cœlo & in terra, tum extra illa atqve omnia locorum spatia, qvam vocant atomicam & utopicam præsentiam, tum scitu necessarium esse negant, tum amplecti etiam nolunt, sed Deo & futuro seculo relinqvunt, ac nescire se profitentur, imo periculosè credi & facilem inde prolapsum esse ad atheismum, asserunt. Interim non negare sese, Deum secundum essentiam suam ubiq; esse testantur pag. 42. seq. Et pag. 44. Episcopium censet & rectè & prudenter fecisse, qvod disqviri permiserit, an necessarium scitu sit scientiam contingentium Deo competere. Adde qvod pag. 41. an essentia Dei oculis beatorum visibilis sit futura, qvæstionem inutilem & ineptam esse, statuunt.

II. Apol. pag. 48. Christum contendunt, pluribus modis & variis de causis vocari in scriptura Filium Dei, nec tantum ob æternam generationem, verum etiam ob productionem tempo-

temporalem virtute Altissimi factam Luc. I. 35. Sanctificationem & missionem in hunc mundum Joh. X, 35. resuscitationem Act. XIII, 32. & exaltationem ad dextram Dei Heb. I. 4. pag. 50. ostendunt causam cur argumentum ab adoratione ductum in Confessione non adhibuerint, ad probandam Christi divinitatem æternam, nempe irrefragabile argumentum à cultu divino peti non posse judicent Et pag. 51. dicunt, argumentum à cultu divino ad probandum Spiritus Christi divinitatem se idcirco non adhibuisse in Confessione, qvia ex scripturis cultum istum Spiritui Sancto nominatim deferendum, aut à Sanctorum ullo delatum esse, probare non possint. Addunt rationem, ob qvam à voce Jehovah noluerint argumentum petere ad probandum Christi & Spiritus S. divinitatem: Certum est, inqviunt, non Rabbinos tantum Judæos pene omnes, sed complures etiam Orthodoxos, linguæ sacræ peritos pro voce planè fictitia habere: nihil certius aut liqvidus est, qvàm nomen hoc creaturis etiam in scriptura passim attributum esse. pag. 53. Communionem cum Socinianis aliisq; Trinitatis mysterium oppugnantibus colere se fatentur, & ex Justini dialogo cum Tryphone probari conantur, veterem Christianorum Ecclesiam cum iis, qvæ circa tempora Justini credebant, Christum Jesum

non

non esse nisi hominem ex hominibus, communionem coluisse, dummodo Jesum verum Messiam esse & per eum Deum colendum esse firma cum ipsis fide crederent. Mortem, qvam Adamo Deus comminatus est, dicunt esse corporalem, qvam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia & qvam deinde æterna pœna damni, id est, divinæ visionis sive gratiæ & gloriæ æternæ privatio subseqvitur. Aliam mortem, id est, pœnam æterni sensus ut statuant, nulla authoritas, nulla ratio, nulla æqvitas cogit &c. Confer. pag. 83. pag. 59. an imago Dei potissimum sita sit in dominio hominis in cæteras creaturas, qvæstionem esse dicunt nullius momenti. Promissam primis Parentibus beatam immortalitatem aut non promissam dicere non audent, nec dicere certo possunt, qvia promissio illa nuspiam facta legitur.

IV. De providentia Dei an sit actus potentiæ Dei, an vero actus voluntatis merè negativus, qva non vult creatas res destruere & annihilare, disputandum relinqvunt, pag. 68. qvibus luber, ita tamen ut non sine magnæ veri specie asseri à plerisq; Scholasticis statuant, conservationem istam actum esse negativum & non positivum. De actionibus moralibus statuunt, eas non idcirco placere Deo, qvia persona placet, sed contra qvia actiones placent. Ideo personam

sonam placere pag. 72. Actio nos moraliter at vere bonas esse censent pag. 73. etiamsi non proficiscantur ex fide, & loca classica Ebr. XI, 6. Rom. XIV, 29. glossis suis conspurcant.

V. Pag. 84 fatentur, peccatum Adamiâ Deo imputatum dici posse posteris ejus, qvatenus Deus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit, obnoxios nasci voluit: at nihil cogit dicere, peccatum Adami posteris ejus sic fuisse à Deo imputatum, qvasi Deus posteros Adami revera censuisset ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, qvam Adamus commiserat reos. Hoc esse contra scripturam, veracitatem, sapientiam, bonitatem, justitiam atqve æqvitatem divinam; contra peccati naturam, ut id censeatur peccatum, aut ut propriè in peccatum imputetur, qvod propria voluntate commissum non est &c. Summa, peccatum originale non habent pro peccato propriè dicto, qvod posteros Adami odio dignos faciat, ut habent ipsissima eorum verba. Loco Cœn. VI, 5. IIX. 21. Joh. III, 6 non ago de originali peccato contendunt pag. 88. Negant justitiam originalem per primum peccatum vel apostasiam à Deo esse deperditam sive meritoriè sive actu ipso sive utroq; modo pag. 85. negant, peccatum originis pœnam æternam sive æternas cruciatus inferre pag. 87. negant,

Deum

Deum in infantibus justitiam originalem separere velle, eo qvod illi incapaces sint, Ibid. negant, actus illos, qvos homo gratia divina privatus non potest, non facere, formaliter esse peccata, per qvæ ad novam pœnam obligatur pag 86. negant, Deum omnibus peccatis pœnam æternam sensus & damni adsignasse, pag. 90. excipiendos hic esse lapsus leviores pag. 89.

VI. Pag 91. Qvæstionem de fide in Jesum Christum, an & qvomodo ea sub Vet. Testamento locum habuerit ambiguam & inutilem esse censent. Pag. 93. Propter errorem, qvem de origine carnis Christi errant Anabaptistæ, negant eos in fundamento fidei errare censeri posse vel debere. Pag 94 Christum Servatorem nostrum, non uno modo tantum, sed pluribus & qvidem in gradu excellentissimo, præconio, exemplo, miraculis & martyrio suo rectè dici contendunt. Pag. 95. Negant, Christum nobis promeruisse fidei collationem aut regenerationem. Notatu dignæ sunt hypotheses Arminianorum, qvibus viam ad Socinianismũ sternunt, in unum velut fasciculum collectæ à Triglandio Disp. LVI. in Apol. Remonst. thes. II. 1. Justitiam vindicatricem non esse Deo naturalem. 2. Ideoq; non exigere eam necessario satisfactionem pro peccato aut peccatis. 3. Ac proinde Deum potuisse peccatum planè impunitum dimittere.

mittere. 4. Conseqventer peccata remittere nulla pro iis accepta satisfactione. 5. Christum non satisfeciſſe plenariè justitiæ Dei, pro peccatis nostris, sed tantum feciſſe, qvantum ipsi erat possibile, idq; à Deo patre per gratuitam acceptilationem acceptum fuisse pro satisfactione plenaria. 6. Christum mortis suæ obedientia acqviſiviſſe Patri jus novum fœdus cum hominibus peccatoribus ineundi. 7. Ac proinde non acqviſiviſſe hominibus actualem cum Deo reconciliationem & peccatorum remiſſionem, sed reconciliabilitatem qvandam & potentiam obtinendi remiſſionem peccatorum, siqvidem Deo Patri placeret novum fœdus paciſci cum homine peccatore. 8. Qvando jus illud Deo Patri per Christum acqviſitum erat, tum DEO Patri liberum fuisse qvascunq; vellet conditiones homini de novo præscribere sive legis sive operum. 9. Ideoq; inito novo fœdere & præscriptis novis conditionibus hominem justitiam coram Deo & vitam æternam obtinere, non merito passionis, mortis & obedientiæ Christi, sed novarum illarum conditionum præstatione.

VII. Pag 101. Decretum Electionis de certis personis nominatim vitæ æternæ destinandis negant: illudq; volunt esse tantum decretum de conditione, qva Deus personas, id est, homines omnes saluti vult destinari. Pag. 102. enunciare

ciare decretum Dei hac formula dicunt: Deus decrevit salvare credentes, non qvasi credentes qvidam reipsa jam sint, qvi objiciantur DEO salvare volenti, sive prædestinanti; nihil minus; sed, ut qvid in iis, circa qvos Deus prædestinans versatur, requiratur, ista enunciationis clarè significetur. Tantundem enim valet atqve si diceres, Deus decrevit homines salvare sub conditione fidei, non operum aut alia via hujusmodi decreto posito, stare posse, nullas esse ad salutem prædestinatos, natura ipsa rei loqvitur. Cur autem decretum hoc non possit vocari prædestinatio ad salutem, non video.

IIX. Pag. 107. Demonstrare conantur, Socinum in summa rei cum Orthodoxis conspirare in capite de justificatione & fide. pag. 108. remissionem peccatorum applicari per fidem negant. utpote qvæ actus Dei est in DEO perfecte immanens. Pag. 111. Obedientiam fidei, qvatenus fides actus noster est, in negotio justificationis rectè considerari contendunt. pag. 112. negant fidem propriè instrumentum esse justificationis: Christi justitiam nobis imputari esse ajunt phrasin, qvæ si rigidè accipiatur, consistere non possit. Pag 113 per fidem in negotio justificationis intelligendum esse asserunt actum fidei, qvatenus includit in se totam obedientiam hominis Christiani, lege fidei, id est, Evan-

gelii præscriptam: controversiam hanc, si rectè perpendatur, esse nil nisi Logicam & Grammaticam litem. Et post: Jam mihi vide, annon mera Logica sit pugna, si disputetur, an fides, qvæ est viva, an qva viva est, reqviratur ad justificationem. Locum Jacobi II, 24. perperam de justificationis declaratione exponi evincere conantur.

IX. Docilitatem, qvæ nos aptos reddit ad virtutes morales, eandem nos aptos reddere ad virtutes divinas amplectandum, pag. 119. docent. Adde: qvæ de necessaria ad fidem probitate animi dicunt. Pag. 128. negant in regenitis semper carnem concupiscere adversus Spiritum, si de actuali reluctatione sit sermo unde pag. seqq. contendunt cap. VII. ad Romanos rectè ab Arminio & Socino de homine irregenito ejusq; luctu applicari. Pag. 138. An Matt. V. seqq. expositio facta sit per novorum præceptorum additionem an per interpretationem eorum sensuum, qvi verbis legis continentur, necessarium non judicent, ut curiosè explicent. Pag. 151. negant, præcepta Christi clarè jam ante Christi adventum proposita esse, imo nihil falsius esse ajunt: Certum enim esse, præceptum fidei in Jesum Christum nuspiam in Vet. Test. clarè traditum extare, uti neqve in terminis promissio vitæ æternæ in eo extat. Confer pag. 138.

ubi

ubi dicunt, promissionem vitæ æternæ à DEO sub Vet Fœdere factam, aut lege Mosis comprehensam fuisse, non solum, nec primum Socinum sed eadem multis retro seculis negasse Antiqvitatem pag 143. Qvid clarius disertiusq; in Evangelio traditur, qvam Christum esse nostrum legislatorem? Abnegationem noster & tolerantiam crucis nova præcepta esse dicunt, eaq; in lege Dei tradita ac præcepta esse lege decalogi negant pag. 142. observationem præceptorum Evangelia differre à Legali scribunt pag. 152. qvod hæc plena rigida & præcisa esse debeat, & si unum modo intervenial peccatum nec remissioni nec pœnitentiæ sit locus; illa vero ut plena præcisa & rigida observatio, non reqvirat, dummodo adsit voluntas nihil unqvam faciendi qvicqvam contra illam legis seu præceptum seu interdictum & in melius semper perficiendi!

X. Qvanqvam vere fideles, dum preces suas secundum Dei voluntatem fundunt, de exauditione certos esse posse gratiosæ promissionis ipsis factæ dubitare non sinere fatentur Remonstrantes, negant tamen pag. 149. fideles de sua in fide & pietate perseverantia certo persuasos esse: negant ipsam perseverantiam peti posse, qvanqvam auxilia ad perseverandum non necessaria tantum, sed commoda atqve utilia à Deo petere licere contendant. pag. 147. Protestantur,

stantur, se non inqvirere, an in Oratione Dominica vox Patris essentialiter accipiatur, an personaliter: qvæstionem illam inter difficiles & nimis abstrusas disqvisitiones ponunt, qvæ audacius à multis decidantur, qvàm aut tuto asserantur, aut solidè probentur. pag. 148. Petitione qvinta Orationis Dominicæ negant originalis peccati rationem habitam esse, qvod qvisqvis fidelis debitorum suorum propriorum remissionem petat. Et pag. 149. sic scribunt: Qvod ad actualia peccata attinet, Remonstrantes uti non affirmant, qvenqvam sub sole vivere, qvi sine omni peccato actuali sit, ita negare etiam nolunt, imo affirmare non dubitant qvod id fieri possit gratiæ divinæ auxilio.

XI. De cultu Adorationis Christo ut ~~hominis~~ Mediatori dato sic scribunt pag. 138. Honor iste non est honor, qvo Christus, qva Mediator adoratur supra ipsum Deum, aut ut summus ac supremus Deus cui ex se honor ille debetur. Absit: hunc honorem, hanc gloriam sibi soli integram semper servat Deus &c. Sed est honor, qvo Christum infra se & ut Mediatorem inter se & hominem adorari jubet salvo semper supereminentiæ suæ titulo ac jure. Eadem repetunt pag. 153. & gloriam adorationis, qvæ Christo Mediatori competit veram qvidem esse adorationis gloriam, etsi non absolutè divinam ajunt.

XII. De

XII. De efficaci gratia docent pag. 162. qvod habeat ex se sufficientem vim ad producendum consensum in voluntate, sed qvia vis ista partialis est, exire in actum non possit sive effectum sortiri sine cooperatione liberæ voluntatis humanæ, ac proinde, ut effectum habeat, id est, ut actu secundo sit efficax, pendeat à libera voluntate. Pag. 180. alienum atqve absurdum censent, Conversionem tribuere hominibus & prædicato verbo, qvorum efficaciam totam non nisi moralem ajunt. Et pag. 186. sic scribunt: Nulla ministerialis actio concurrere potest cum peculiari actione divina, sic ut per eam fides aliqvomodo efficiatur; qvia tota actio ministerialis, qvæ per homines & verbum fit, moralis actio est. At peculiaris illa Dei actio qva fidem efficit in homine est physica vel hyperphysica; actio autem moralis ut instrumentum fieri dicatur actionis physicæ, absurdum est. Adde qvæ de gratia generali & communi habent pag. 158. ubi ajunt, eos, qvæ beneficio gratiæ communis legi naturæ obseqvuntur. Deo gratos esse, & vel salute æterna per extraordinariam gratiam donari, vel beneficiis majoribus gradatim á Deo affici, ut ad salutem æternam pervenire possint. Confer Acta & scripta Synodalia defens. Sentent. circa IV. artic. pag. 106. Dicimus, inqvimt, Deum ex æqvitate teneri iis omnibus, à

qvibus post lapsum denuo obedientiam sub nova conditione & pacto exigit, qvosqve ob eam non præstitam graviore pœna afficere vult, vires ad reqvisitam obedientiam præstandas, & pœnam denunciatam effugiendam necessarias vel actu conferre vel paratum saltem esse conferre à sua parte, ita ut qvod ea ipsis non concedatur actu, non per ipsum, sed per homines stet.

XIII. In Confessione sua Remonstrantis C. XIIX. Sect. 1, & 2. Electionem ad gloriam dicunt esse qva qvæ jam conversi sunt & verè credunt è profana pereuntium turba segregentur, & ex ordine damnatorum (qvoad statum præsentem) exemti velut in peculium Dei seponantur. Porro credentium tres ordines constituunt, primum Novitiorum, qvi recens ad fidem convertuntur, sed ortis tentationibus statim langueſcunt & deficiunt: alterum eorum, qvæ in viva fide & proposito sancto aliqvanto tempore qvidem constantes manent, sed tandem tamen sive mundi sive carnis sive Satanæ illecebris aut violentâ tyrannide victi fractiq; à fide deficiunt ac desciscunt: tertium eorum qvi finaliter perseverant. Deus prioris ordines eligi qvidem verè at non prorsus absolutè nec nisi ad tempus puta qvamdiu & qvatenus tales sunt & manent: sed tertium & postremum solum elegi finaliter ac peremtoriè, sect. 6.

XIV. pag.

XIV. pag. 216. Socinianos reclamante veritate excusant. Ne Sociniani qvidem ipsi negant, animas statim, atqve è corpore exceſſerunt, in cœlos recipi &c. nedum ut affirment eos interire &c, cum corporibus dormire. Etsi enim videntur statuere, animam à corpore separatam voluptate nulla extrinsecus frui, tamen incertum est, an negunt animam intra se vitales operationes habere, iisq; frui, sic ut non dormiat. Nonnulli eorum id videntur apertè satis affirmare. pag. 217. qvæstionem de corporum post resurrectionem numerica identitate inter curiosas potius qvam inter utiles ponendam esse cum Calvino censent. Rationes, inqviunt, pro utraq; parte probabiles sunt. Nec fieri potest, ut solidè lis hæc decidatur, qvamdiu certo non constat, an hoc corpus pars essentialis hominis, an vero instrumentum tantum sit animæ humanæ, qvatenus in hac vita ejus ministerio indiget ad se in eo sustentandum, & qvod in futura vita planè necessarium non est. Litem hanc decidet aliqvando Deus in futuro seculo, ubi tum demum intelligemus & sentiemus, eodem an novo corpore nos donaverit omnipotens.

XV. Missionem mediatam, qvalis fuit ordinario Episcoporum per Apostolos, aut eorum successores non semper aut præcisè esse necessariam ad constituendum Evangelicum Ministe-

rium docent pag. 225. distinguunt inter cœtus constituendos & constitutos: & in his vocationem sive missionem mediatam necessariam esse fatentur sed necessitate ordinis & decori, non autem necessitate mandati divini. Ordinationem autem negant necessariam esse, neqvidem necessitate ordinis & decori, pag. 227. Adde qvæ de distinctis ordinibus in Ministerio subjungunt.

XVI. De Ecclesia statuunt absurdum esse, si describatur Ecclesia, qvod sit cœtus in Jesum credentium ac doctrinam ejus salutarem revera profitentium certo ordine & statu cum Christo per Ministros certosq; ritus conjunctorum, pag. 234. Adde qvæ de possibilitate deficiendi Ecclesiam Catholicam & de regno Christi perpetuo futuro, etiamsi nulli essent, qvi Christo obedirent pag. 237. & de prædicatione verbi atqve Sacramentorum exercitatione, qvas non agnoscunt pro notis Ecclesiæ, Subnectunt, pag. 239, 241.

XVII. Pædobaptismum non censent præcisè observatu necessarium, vel ex præcepto Christi vel ex traditione Apostolica, vel alia aliqva certa atqve indubitata authoritate terendum urgendum aut imperandum esse, pag. 247. Pædobaptismi impugnatores censent tolerandos pag. 248. Alios Arminianorum de Sacramentis,

mentis, inprimis Cœna Dominica errores supra attigimus.

XIIX. pag. 256. Qvod attinet coactivam vim externam. Remonstrantes attribuunt Magistratui vim coactivam in personas, loca & functiones publicas, adeo ut qvicunq; sine Magistratus consensu jussuve in locis publicis functiones publicas exercere vel qvæ in iis exercentur, turbare qvocunqve tandem prætextu audent, in eos vi coactiva animadvertere possit, ac pro officio debeat. At extra loca publica, nullam vim coactivam competere iis statuunt in conscientias aut actiones privatorum qvæ Religionis aut conscientiæ solius causa fiunt: hæ sunt solius fori divini & ad tribunal humanum, non pertinent. Et pag. 257. Magistratum vi nulla coactiva uti posse, qva impediat subditorum in locis privatis ac propriis religiosa exercitia, qvæ ad sensum & professionem illam fovendam faciunt, & ad qvæ subditi ex lege Dei ac Domini sui se obstrictos credunt. Hæc vi publica inhibere aut turbare est conscientiis vim facere. Sed & Ecclesiæ authoritati in censura & disciplina Ecclesiastica in seqventibus detrahunt Remonstrantes. & loca Matt. XIIX. & I. Cor. V. suis glossis obscurare nituntur. Adde, qvæ de pœna subjiciunt pag. 259. seqq. Nulla, inqviunt, carnalis coercitio, nulla pœna errantibus à Deo

constituta est: Nulla ratio recta constitui permittit. Si coercitiones ullæ admittuntur, qvid erit Christianismus aliud, qvàm gladiatorum in se invicem concurrentium arena ac mutua inqj vicem rediens incarceratio, relegatio ac flagellatio. pag 274. libertatem propheţandi defendunt. Per Prophetiam qvælibet interpretatio intelligatur, qvam qvis sensui & menti Dei optimè qvadrare credit. Est itaqj libertas prophetandi liber illius interpretationis usus, ita ut qvis juxta illum Deum colere permittatur, eo cultus modo, qvem à Deo sibi præscriptum credit absqve ullo dissentientium odio aut infectatione & legum publicarum ad honestam & civilem conversationem pertinentium violatione. Adde, qvæ de hæresi, qvam opus carnis esse negant, deqj hæreticis, eorumqj à blasphemis & apostatis discrimine disputans. Pag. 282. Promissionem Matt. XIIX, 20. Dic Ecclesiæ &c. ubi duo &c. ad Synodos pertinere negant. pag. 286. Falsum esse dicunt, in Synodo Apostolica Hierosolymitana Act. XV. sententiæ dictionem & judicium Pastorum fuisse, suffragationem plebis adstantis & audientis silentio suo, & nescio qvam incuriam Spiritui sancto attribuunt dum verba qvædã dicunt obiter aut incuriosè prolatis. Ibid. reqvirunt, ut personæ ad Synodum mittendæ nulli sint adstricti Confessioni. pag. 290.

Intra

Intra conditiones, qvas in Synodis reqvirunt, ultimam hanc esse volunt, ut qvod in iis statutum est, semper examini & ulteriori revisioni subjectum relinqvatur.

XIX. Summam Arminianismi complexus est Episcopii Arminianorum doctoris præcipui successor Stephanus Curcellæus in præfat. operum Episcopii: Summa huc redit. *Cum Christiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter se consentiant, eum qui super est, in aliis minoris momenti dissensum impedire non debere, quominus in unum Ecclesiæ corpus coeant, & se fratres mutua in Christo charitate prosequantur. Si modo, quæ ista magni æstimant, cæteros diversum sentientes ad ea suscipienda non cogant. Hæc enim est Tyrannis in Ecclesia non ferenda: cujus qui rei sunt, fundamentum evertere & fraternitatis vinculum abrumpere censendi sunt. Quod etiam de Idololatria intellectum volo.* Hæc Curcellæus. Statuunt ergo Remonstrantes, omnes Christi nomen professos in unum Ecclesiæ corpus colligendos, exceptis Tyrannis & Idololatris: Hos enim non includit, sicut putat Hoornbeck, summa Contr. pag. 459. sed excludit. Neqve enim vel Sociniani vel Arminiani illorum pulli in communionem Idololatras admittunt. Qva in re parum considerate agere censendi sunt Socinian ipsi idololatrarum haud postremi. Hæc de

erroribus

erroribus Arminianorum nunc sufficiant. Potuissent plura enotari, qvæ de scriptura, cognitione Dei, ejusq; justitia vindicatrice & distributiva, de obligatione Dei, qva tenetur necessaria ad præstandum qvod jubet relinqvere, aut ablata restituere, de verbo otioso, per qvod blasphemiam tantum in Sp. S. intelligunt de motivo pietatis, de expositione decalogi, reprobatione pœnis impiorum ad hanc vitam pertinentione accensenda de hæresi & hæreticis, de Magistratu Christiano ejusq; potestate, aliisq; sive novi temerè & periculosè differunt. Videatur Consideratio Arminianismi Adm. Reverendi Dn. D. Calovii, & Antapologia Jacobi Triglandii,

SOLI DEO GLORIA.

Errata

Errata exstantiora & sensui multum incommodantia.

Part. I.

Pag. 10. lin. 5. & ult. lege ἀσθάσεια.
Pag. 94. Confer pag. 581. seqq.
pag. 114. lin. ult. adde: Vid. Cl. Hulseman. de Auxiliis gratiæ pag. 322. seqq.
pag. 116. lin. 10. lege: nullo ea extare volentis Dei nutu implicita.
pag. 135. lin. 13. Confer Exercit. X. §. 6.
pag. 167. lin. 19. pro commissionis lege omissionis.
pag. 182. lin. 3. lege peccantem.
pag. 255. lin. 16. adde: vel Metonymiæ causæ pro effecto.
pag. 292. lin. 23. Confer Corollarium Exercit. IIX.
pag. 298. lin. 23. pro eſt lege es.
pag. 490. lin. ult. lege affectu.
pag. 495. lin. ult. Confer Exercit. IX. §. 4.
pag. 550. lin. 17. 18. lege: & rursum à secundo tertius.
pag. 720. lin. 22. post objectum lege: antecedentem voluntatem habere pro objecto hominem lapsum &c.
lin. penult lege universalem.
pag. 727. lin. 4. lege: constat Deo superabundantis bonitatis ratio.

pag. 728.

pag. 728. lin. 14. lege fidei.
pag. 734. lin. 25. pro finem lege fidei.
pag. 745. lin. 22. lege acqviri jus.

Part. II.

pag. 85. lin. 25 post verba non autem ex se, adde: sicut corpus vitam habet in se non autem ex se.
pag. 99. lin. 26. pro mea lege una.
pag. 113. lin. 17. deleatur Sol.
pag. 129. lin. 5. lege Ubiqvetistico.
pag. 188. lin. ult. lege Tristissima.
pag. 203. lin. 25. lege habeatqve.
pag. 206. lin. penult. pro propriè lege præcipuè.
pag. 207. lin. 16. pro non lege nempe.
pag. 208. lin. 19. pro sunt lege sub
pag. 236. lin. 15. lege detestamur
pag. 239. lin. 17. pro cordis lege oralis
pag. 245. lin. 14. lege mandari
pag. 247. lin. 2. pro ad lege at
pag. 270. lin. 7. pro procul lege poculo
pag. 273. lin 19. dele, seqvitur panem & Christum
pag. 279. lin. 18 pro digne lege indigne
pag. 290. lin. 18. lege Severus Sulpitius
pag. 296. lin. 21. pro vera lege via
pag. 298. lin. 3. lege unicus.
Et lin. penult lege nos.
pag. 327. lin. 1. lege qveritur
pag. 329. lin. 23. pro verbo lege vero
pag. 331. lin. 15. pro qvi lege qvia

pag. 34[illegible]

pag. 341. lin. 11. lege aliisq;
pag. 367. lin. 4. pro NB. lege III.
pag. 368. lin. 1. lege Actiones,
lin. 22. lege Gen.
lin. 23. lege agi
pag. 369. lin. 10. lege Christum.

Typographus Lectori S.

Reliqua majori quidem numero, sed leviori, ut spes est, momento, quæ per Authoris absentiam & occupationes irrepserunt, Benevolus Lector ipse corrigere dignetur & similem vicissim benevolentiam exspectet. Hæc una res, reddat quietos, mutuæ facilitatis conventio.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0387
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0388
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0389
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0390
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0391
DFG

Intra conditione
ultimam hanc e
tum eſt, ſemper
ſubjectum relinq

XIX. Sumn
eſt Epiſcopii Arm
ſucceſſor Stephar
rum Epiſcopii:
ſtiani in præcipuis
matibus inter ſe con
liis minoris momen
quominus in unum
tres mutua in Chri
do, quæ iſta magni
tientes ad ea ſuſcipi
Tymnnis in Eccleſia
fundamentum ever
rumpere cenſendi ſ
intellectum volo.
ergo Remonſtrant
feſſos in unum
exceptis Tyranni
non includit, ſic
Contr. pag. 459.
Sociniani vel Arm
munionem Idolol
parum conſiderat
ni ipſi idololatra

odis reqvirunt,
vod in iis ſtatu-
eriori reviſioni

iſmi complexus
ctoris præcipui
in præfat. ope-
dit. *Cum Chri-*
us Religionis dog-
ni ſuper eſt, in a-
edire non debere,
ceant, & ſe fra-
quantur. Si mo-
os diverſum ſen-
. Hæc enim eſt
ujus qui rei ſunt,
tis vinculum ab-
am de Idololatria
ens. Statuunt
ſti nomen pro-
s colligendos,
s: Hos enim
nbeck, ſumma
Neqve enim vel
n pulli in com-
t. Qva in re
li ſunt Socinia-
remi. Hæc de
erroribus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730408914/phys_0393
DFG